DAN. WYTTENBACHII

LECTIONES

QUINQUE,

NUNC PRIMUM EDITAE,

ATQUE

PRAEFATIONE ET ANNOTATIONE

AUCTAE

A

GUILIELMO LEONARDO MAHNE.

GANDAVI,

APUD MAX. ANT. MAHNE,

ET

LUGDUNI BATAVORUM, APUD S. ET J. LUCHTMANS.

M. DCCC. XXIV

Οὐ πολὺν ἄνθρωποι ζῶμεν χρόνον, ἀλλ᾽ ἐπὶ καιρόν·
Ψυχὴ δ᾽ ἀθάνατος, καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός.

Non multum temporis vivimus homines, sed ad tempus:
Animus vero immortalis et senectutis expers vivit perpetuo.

PHOCYLIDES.

ERUDITAE ANTIQUITATIS

FAUTORIBUS ATQUE PATRONIS

S.

CONSTAT *ex Oratione Wyttenbachii, quâ Philosophiae professionem in scholâ Remonstrantium Amstelodami auspicatus est, ipsi jam ab initio muneris sui professorii firmiter persuasum fuisse, Philosophiam, illam bonarum artium omnium procreatricem et quasi parentem, cum Literis Humanioribus arctissime nexam et copulatam esse. Atque ubi nobiscum reputamus, quamnam Wyttenbachius in docendo viam et rationem ingressus, ac persecutus sit; illam modo memoratam animi persuasionem apud ipsum in constituendâ et ordinandâ institutionis suae disciplinâ hanc omnino vim habuisse videmus, ut utrumque studium, cum Philosophiae tum*

Literarum, *in scholis suis non modo diligenter conjunxerit*, *verum etiam inprimis* Historiâ Philosophiae, *tamquam optimo*, *ut ita dicam*, *instrumento*, *usus sit*, *quo certius illud salubre consilium suum consequeretur. Neque id immerito*, *ut equidem certe opinor. Quum enim* Historia *sit temporum testis ac vitae magistra; quum porro* Philosophia, *communi omnium intelligentium consensu*, *reliquis disciplinis humanis præstet*, *easque adeo amplitudine suâ complectatur; quumque Graeci potissimum et Latini ipsam antiquitus excoluerint*, *horumque scriptis omnia omnino humanitatis studia consignatâ*, *et ad nostram aetatem propagata sint : facile intelligitur*, Historiam Philosophiae *non modo veluti januam aperire ad omnem aliarum artium et doctrinarum historiam*, *verum ipsam quoque*, *utpote non e sterili cujusdam recentioris scriptoris compendio*, *sed ex uberibus Veterum fontibus hauriendam*, *ad Literarum elegantiorum scientiam sibi acquirendam maxime valere. Huc accedit*, *primum*, *quod omnis Historia juvenum studia inprimis allicit*, *eorum aures magnopere tenet*, *eorumque ani-*

mos valde mulcet : deinde vero etiam, quod haud pauci magni nominis in re literariâ viri, quorum auctoritatem Wyttenbachius hâc in parte secutus fuisse videtur, non sine ratione statuerunt, nullam disciplinam, nisi prius cognitâ ejus historiâ, recte percipi et intelligi posse. Egregia de hoc argumento dixit Jacobus Facciolatus, *in Orat. IV, quâ ostendit,* Nullam esse adolescentibus tradendam Philosophiam, nisi historicam. *Atque praeterea operae pretium est animadvertere ad illa verba* Friderici Gedikii *in Praefat. ad M. Tullii Ciceronis Hist. Philos. Ant., ubi ait* : « Ad hunc ego librum conscribendum nec casu, nec meo ipsius consilio impulsus accessi, sed admonitus et evocatus ab illustrissimo Zedlizio, rerum ecclesiasticarum atque scholasticarum summo in terris Borussicis praeside, viro de literis ac scholis immortaliter merito. Qui quum intelligeret, antiquae philosophiae notitiam pernecessariam esse adolescentibus, nec sine eâ ipsam veterum scriptorum lectionem satis feliciter procedere, quumque ipsius philosophiae studium ab hâc historicâ notitiâ utilissime or-

diendum esse videret, quo facilius primis et veritatis et errorum fontibus cognitis a partium studio deterreatur juventus : historiam hanc philosóphiae antiquae neutiquam (ut fere fit) in scholis negligendam esse rectissime existimavit. Quum autem non minus vere censuisset, studium hoc cum ipsâ veterum scriptorum lectione aptissime et utilissime posse conjungi, nec ullam esse utiliorem juvenilis institutionis rationem hac rerum atque verborum amicâ societate : ex libris Ciceronis, quo nemo veterum scriptorum largiorem huic consilio messem suppeditare possit, historiae philosophicae enarrationem colligi voluit ».

Porro autem, ut ad Wyttenbachium revertar, quum hic in Athenaeo Amstelodamensi Philosophiae tradendae provinciam obtinuisset, majori etiam studio hanc humanae eruditionis partem, Historiam Philosophiae *dico, excolere coepit, et ex scholae umbrâ in publicam lucem producere studuit. Nam non modo domi singulares scholas habuit, in quibus Historiam Philosophiae discipulis suis traderet, verum etiam subinde*

in publico Athenaei auditorio illius doctrinae partes explicuit. Ex quo scholarum publicarum genere hae quinque acroases sunt, quas anno 1782, mensibus Aprili et Majo, magnâ auditorum et discipulorum frequentiâ, fecit, egoque, ut promissis in Vitâ Wyttenbachii p. 124 factis starem, nune edendas curavi.

Quin etiam postea, quamvis deposito Philosophiae docendae munere, non destitit Historiam hujus doctrinae cum Literis studiose conjungere, eamque discipulis suis tradere. Ab eo enim inde tempore, quo Literas Humaniores docere coepit, usque in extremos vitae suae annos, ipsam cum reliquâ doctrinarum historiâ veluti conglutinavit, atque sub communi Historiae Literariae *nomine complexus est. Hoc breviter significavi in Vitâ optimi viri, cum alibi, tum his verbis p.* 194: Sed paucis diebus post — statim aliud programma dabat, in quo declarabat, se Historiam Literariam Graecam ex ipsis scriptorum operibus haustam discipulis dictaturum et expliciturum esse. *Verum postea id disertius ostendere debuissem, atque profecto etiam os-*

tendissem, modo prius ad meam notitiam pervenissent, quae, edita jam vita Wyttenbachii, vir eruditissimus F. A. Bossius, *Gymnasii Lugduno Batavi praestantissimus Rector, pro summa, quae in ipso est, humanitate mecum communicavit. Quam lacunam vero ut nunc quantocyus expleam, nec lectorem Wyttenbachii memoriae ac meritis ex animo faventem lateat, quae mihi clar. Bossius scripserit, illa ipsis Viri verbis proferam.*

« Nullam, *inquit*, mentionem reperi scholarum, quas cl. Wyttenbachius Graece habuit, nisi huc referenda sint, quae leguntur pag. 194. Programma harum scholarum, anno 1812 ineunte editum, rem disertius explicabit, estque sane dignissimum, quod Vitae adjiciatur, praesertim quum meminerim clar. Wyttenbachium mihi dicere, tale quid post Scaligerum Lugduni Batavorum a nullo professore factum esse. Ipsum autem programma his verbis conceptum fuit :

DOCTOR DISCIPULIS

S.

» Quum Graecarum Literarum disciplina universe quatuor partibus constet, prima

earum est ipsius linguae, ejusque proprietatis cognitio, quae acquiritur et Grammaticâ arte, et in primis accuratâ lectione veterum librorum, et est omnium reliquarum trium partium principium ac fundamentum. Altera est Notitia scriptorum et poëtarum : quos etsi per aetatem et juventutem vestram nondum ipsos legisse potestis, tamen non ignorandum est, qui fuerint, quae sint eorum nomina, scripta, aetas : nam, ut poëtae verbis utar, tenendum est de iis illud, *Qui genus? unde domo* (1)? Quod profecto nescire, illiberale ac sordidum est. Tertia pars continetur Historiâ rerum gestarum, populorum, bellorum, urbium conditarum, eversarum, et migrationum populorum. Quarta denique pars versatur in Antiquitatibus, quibus subjecta est explicatio Graecorum institutorum, legum, morum, in quatuor vitae locis et quasi capitibus, i. e. *de rebus sacris, civilibus, bellicis, privatis.*

» Et harum quidem quatuor partium disciplinam adhuc Latine tradere solebamus :

(1) Virg. Aen. VIII, 114.

nunc autem unam secundam partem Graece vobis trademus : quod sane vobis utile erit ad majorem Graecae linguae facultatem consequendam. Et videor mihi in plerisque vestrûm et studium et ingenium ad hanc exercitationem animadvertisse. Vos autem, carissimi alumni, ita de me vobis persuadeatis, nullum esse tantum laborem, quem non vestrae utilitatis causâ libenter suscipiam. Valete ».

Et hactenus quidem clar. Bossius. — *Neque est quod dubitem, quin ex iis, quae hic breviter exposui, satis appareat; illam humanae eruditionis partem, in quâ explicandâ* Historia Philosophiae et Literarum *versatur; Wyttenbachio ad reliquas doctrinas facilius percipiendas valde accommodatam et utilem visam fuisse. Quod ipsius judicium vero quamnam vim habuerit ad animos discipulorum ejus, abunde constare mihi videtur ex scriptis, quae in hoc doctrinarum genere ab his deinceps edita sunt, et ab horum ipsorum alumnis etiamnum eduntur. Neque sane quidquam aut optabilius, aut nobis honorificentius excogitari posse arbitror, quam*

ut illud studium apud nos non refrigescat, immo in dies magis magisque ferveat, et sic a patribus ac majoribus parta doctrinis provehendis gloria, nobis non modo integra maneat, verum etiam nostrâ item operâ ad posteros propagetur.

Caeterum vero has acroases Wyttenbachius vocavit Lectiones, *quoniam, quae domi commentatus erat et conscripserat, in auditorio non memoriter ac veluti ex tempore recitavit, sed ex chartis praelegit. Et denique, quod ad* Annotationem *attinet, illam huic opusculo nullam aliam ob causam subjeci, nisi ut harum rerum studiosi juvenes, si forte plura de hoc argumento scire cuperent, ipsos fontes horumque praecipuos interpretes adire atque consulere possent.*

Scripsi Gandavi die 15 *Jun. anni* 1824.

LECTIO PRIMA.

QUAMQUAM ea est philosophiae ubertas, ut nullus in eâ sit locus, quin, si probe colatur, egregios ferat virtutis doctrinaeque fructus; habet tamen alius alio locus majorem cum humano genere conjunctionem, majoremque vim ad bene beateque vivendum. Ex quibus quidem locis duo, omnium consensu, prae reliquis eminent: quorum alter est *De divinâ naturâ*, alter *De animorum immortalitate*. Nam quocunque nos animo et cogitatione vertamus, duo nobis extrema et maxima occurrunt; causa, unde profecti sumus; et finis, ad quem tendimus. Horum cognitio nobis eo magis est expetenda, quo turpior est ignoratio vel dubitatio, quæ hominum mentes sollicitat, et incertâ rerum futurarum exspectatione suspensas tenet. Equidem non ignoro, esse quosdam, immo multos, qui omnem talem quaestionem aut ad anilem superstitionem,

aut ad scholarum nugas rejiciant, atque adeo ex philosophiâ circumscribant; quippe quam, cum sit vitae magistra, eas modo res curare volunt, quae ad hanc vitam pertineant. Egregio nimirum illi et callido usi argumento. Quasi vero haec una vita sit, quam in terris et corpore degimus, neque ad hanc vitam bene instituendam plurimum adferat momenti scire, quod initium quemque finem hominis natura habeat. Atqui tantum abest, ut eos, qui ita sentiunt, philosophorum appellatione dignos judicem, ut potius detrudendi videantur ad genus pecorum, quae, ut ait Sallustius, *natura prona atque ventri obedientia finxit.* Adeo nil egregium, nil praeclarum cogitant, ut animos oculosque humi defixos teneant, neque humanae naturae originem dignitatemque intelligant; quam

Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, caelumque tueri
Iussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Ego vero, A. H., muneris mei praecipuam voluptatem in eo pono, quod mihi apud vos dicendum est, tales viros juvenesque, qui philosophiae laudem non fortunarum voluptatumve perceptione, sed rerum causarumque intelligentiâ aestimetis; praesertim earum, quae valeant ad virtutis honestatisque studium et communem hominum utilitatem. Apud vos igitur quum per has publicas lectiones *De animorum immortalitate* disserere constituerim, videor mihi argumentum sumsisse dignum et vestris studiis et meo munere, quamquam idem ad

explicandum perquam difficile atque operosum. Sed ut ego decrevi neque hunc, neque alium in posterum laborem defugere, dum vestris servirem commodis: ita spero, in vestrâ mihi benevolentiâ humanitateque paratam fore veniam, si quid in meâ disputatione ad hujus loci pertractationem desideraveritis. Quâ quidem humanitate et magnâ me sublevabitis laboris parte, et ut erga me uti velitis, eâ quâ par est observantiâ, etiam atque etiam a vobis peto atque contendo.

Et primum quidem in hujus disputationis ingressu ipsa quaestio nobis constituenda et breviter circumscribenda est, ut intelligatur, quid nobis velimus, cum dicimus, *animos esse immortales*. Quod ita maxime patebit, si hanc veluti enuntiationem in suas partes, subjectum et praedicatum, distribuamus, et quodque peculiariter definiamus. Igitur *animum* vocamus eam naturam, quaecunque demum est, quae in nobis cogitat, sentit, appetit, adversatur, et omnino conscia sibi est et sui et aliarum rerum. *Immortale* autem est, quod non moritur. Quod cum dico, nolite putare, me in verbo ludere, et hoc vobis dictum pro definitione venditare. Nam posteaquam exposuerimus, quid vocemus *mori*, quidque *mortis* appellatione significemus; nemo quisquam erit, qui aliud præterea ad hujus definitionis intellectum requirat. Et vero *mori* dicitur corpus animale, cum ejus vita, cessante sanguinis motu, exstinguitur. Igitur quum dicimus, *animum esse immortalem*, hoc nimirum

significamus, animum non cum corporis morte exstingui, sed vim suam vitamque retinere atque vigere.

Quare, ut animo hanc immortalitatem vindicemus, de variis constare causis debet, quibus immortalitas continetur. — Prima est, ut ipsa natura animi a corporis naturâ sit diversa; ut vel simplex sit, neque partibus constet, vel certe eam habeat vim, quae corporis morte non possit destrui, neque in ejusdem interitûs societatem implicari, sed post corporis mortem integra et superstes sit. — Altera est, ut animus non tantum superstes sit post corporis mortem, sed vim cogitandi, appetendi, et reliquas, quae a corporis ministerio sejunctae sunt, facultates retineat. — Tertia, ut neque voluntate potentiâve Dei animus naturali suâ vi vitâque privetur, atque exstinguatur.

Atque de his tribus causis, tamquam partibus hujus disputationis alio tempore exponemus, posteaquam universae hujus sententiae, quae est *De animorum immortalitate*, initia et progressus enarraverimus, ejusque historiam veluti a primâ philosophiae et doctrinarum origine ad nostram usque aetatem deduxerimus. Magnum enim in omni disputatione momentum est historicae cognitionis, quâ intelligitur, a quibus initiis profecta, quibusque incrementis aucta sit sententia, quibus dubiis et hominum doctorum contentionibus agitata sit: quibus rationibus alii probabilem quaestionis exitum repererint, alii in vanas opiniones inciderint, et in errores se induerint inextricabiles.

Et hujus historiae nunc quidem, *quinque* dein-

ceps *lectionibus*, referemus eam partem, quae est inde ab initio rerum usque ad Platonem. —

Jam si quis hujus de animorum immortalitate opinionis atque sententiae quaerat originem, ab ipsis profecto ingenii humani incunabulis eam repetendam esse intelligat. Sunt enim res haud paucae ita in promtu expositae, ut ipsa natura quasi manu ad earum cognitionem homines deducat. Unde saepius mirari me subiit nonnullorum incogitantiam, qui plerarumque rerum notionumque inventionem suis quamque ac certis populis veluti propriam tribuunt. Philosophiam v. c. alii ab Aegyptiis, alii à Persis, alii ab Indis, a Græcis alii, alii ab aliis repetunt. Illa vero, ut verissime dixit Plato, est donum et inventum Deorum, quod toti hominum generi in medio et communi expositum est. Carminis, picturae, aedificiorum inventionem alii ad alios referunt populos. Atqui singulae laudes illae non sunt propriae singulorum populorum, sed omnibus communes. Nam et harum, ut aliarum, artium initia ita in publico et omnium quasi oculis posuit natura, ut quemlibet non stupidissimum vel usus, vel necessitas, vel casus ad earum cognitionem adducat. Caeterum ita se res habet, ut sine magistro disciplinâque sponte humanum ingenium in plerasque res incidat, sed tamen apud alias gentes aliae res felicius efflorescant, et facilius citiusve ad artis disciplinaeque rationem conformentur. Ac veluti cultura plantarum, quae cuique solo propriae sunt, postea mutuo populorum commercio melior fit, et paulatim ad perfectionem adducitur, quum ad eam aliorum peregrinorumque hominum rationes

et inventa adhibentur : ita eaedem artes disciplinaeque apud varios populos natae, mutuâ comparatione collationeve augentur et provehuntur. Gramina, ut hoc utar, per totam diffusa terram, cujusque fere gentis sunt cives et quasi aborigines, suo apud quamque prognata solo, non aliunde invecta. Verumtamen neque eâdem felicitate in omni solo proveniunt, neque cultorum eamdem curam solertiamque experiuntur. Et sunt, qui a naturâ pingue solum nacti, nullum magnopere fructum capiant : sunt contra, qui ex tenui solo peregrinae rationis imitatione laetam graminis segetem producant.

Itaque philosophia in omnibus quidem terris populisque nata est, nullibi vero tam celeres magnosque habuit progressus, quam apud Graecos, cum propter ingeniorum bonitatem, tum coeli clementiam et terræ fertilitatem, tum flagrantissimum illud, quo incensi erant, scientiæ studium. Quibus etiam quartam, eamque efficacissimam, adjicimus causam, eam nimirum, quod physicae atque interioris philosophiae studium tum demum a Graecis frequentari coepit, quum Thales et Pythagoras mathematicas rationes ab Aegyptiis acceptas cum philosophiâ conjunxissent : quo quidem tempore dudum Graeci moralem disciplinam, disserendi rationem atque poëticam artem coluerant; ut adeo interior illa philosophia non in rudia atque inculta, sed in exculta et subacta humanioribus doctrinis ingenia incideret, et brevi efflorescerent, fructusque ferret sapientiae uberrimos. — Sed quorsum spectat haec disputatio? Nimirum eo, ut intelligatur, doctri-

nam de animorum immortalitate non aliunde ad Graecos fluxisse, sed ipsorum inventam ingeniis ab iisdem fuisse altius provectam, atque excultam cum domesticis rationibus studiisque, tum assumtis veluti in auxilium peregrinis copiis, adhibitisque aliorum populorum de eodem argumento sententiis atque opinionibus.

Et vero ex iis gentibus, quae a Graecis barbarae vocabantur, multae sunt, de quibus certo constet, eas sententiam de animorum immortalitate firmiter tenuisse. Ecquis enim adeo remotus est a literis et antiquitate, ut nesciat apud Aegyptios et pervulgatam fuisse hanc sententiam, et in singulorum universorumque mentibus alte defixam; atque omnem eorum religionem cultumque Deorum ad immortalitatem animorum spectasse. Nam et animum post corporis mortem in alia deinceps animalium corpora migrare docebant, ejusque opinionis ab Herodoto auctores inventoresque perhibentur: qui ait, « *Aegyptii primi exstiterunt, qui hanc proderent sententiam, animos non esse mortales, sed corpore mortuo subinde in alia nascentium animalium corpora immigrare: atque ita, posteaquam per omnia obiissent terrestria, marina, volucria, rursus in hominis nascentis corpus ingredi: fierique hunc animorum circuitum spatio trium millium annorum.* »

Quid memorem Scythas, Getas atque Thraces, horridas et incultas gentes, quae ut de aliis rebus vere, ita non minus recte judicarunt de animis mortuorum, eos non cum corporibus interire, sed in alias abire regiones, ibique vitam degere,

Antiquissimis illis et rudibus Italiæ incolis; *quos Cascos appellavit Ennius, hoc unum omnium maxime erat insitum, esse in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret.* Quid Persas et Indos? Quid Sinenses et Japonenses memorem, quorum doctrinae et placita in eandem conveniunt sententiam, et a viris doctis in vulgus celebratae sunt. Neque tamen silentio praetereamus majores nostros, vel certe eos, qui hanc antiquissimis temporibus regionem tenuerunt, Celtas. Horum doctores Druidae, ut refert Caesar, « *Inprimis hoc volebant persuadere : Non interire animos, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putabant, metu mortis neglecto* ». — Hinc est quod Lucanus, quum gentes enumerat, quae Caesaris bellum patriae inferentis arma sequebantur, Druidarum de animorum immortalitate sententiam celebrat :

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremtas
Laudibus in longum vates dimittitis aevum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.
Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum
Sacrorum Druidae positis repetistis ab armis.
Solis nosse Deos, et coeli numina vobis,
Aut solis nescire datum : nemora alta remotis
Incolitis lucis. Vobis auctoribus, umbrae
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt : regit idem spiritus artus
Orbe alio : longae (canitis si cognita) vitae :
Mors media est. —

Enimvero sive terras omnes mariaque omnia ex contrariis ad contrarias mundi regiones obeamus, sive populorum monumenta inde a rerum

exordiis repetita peragremus, reperiemus aut perpaucas, aut nullas omnino fuisse gentes, quae animorum immortalitatem penitus vel ignorarent, vel repudiarent. Ut verissime dixerit Cicero, *ipsam naturam tacitam judicare de animorum immortalitate*, eamque ab hominibus quasi sentiri per se ipsam nullâ doctrinâ atque ratione, et legis naturalis auctoritatem obtinere, quippe quae posita sit in omnium gentium consensione.

Jam si quaeramus, quae causae fuerint, quibus factum sit, ut haec immortalitatis opinio tam late per humanum genus dominaretur, reperiemus eas partim veras, partim falsas, partim verisimiles, partim veri fuisse dissimiles. Primum quotidiana rerum experientia eos docebat, animi naturam multo majori vi, quam corpus, ad perferendos labores esse praeditam; quippe quae vigeret, et vim suam obtineret saepius, quum corpus motu et labore defatigatum jaceret. Itaque animis igneum vigorem et coelestem originem, corporibus humilem ex terrenâ faece ortum cum desidiae tarditate tribuebant.

Igneus est, inquit poëta, *animis vigor, et coelestis origo,*
— *Quantum non noxia corpora tardant,*
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

Porro animadvertebant, corpus continuis mutationibus circumagi, atque tot tantisque vicissitudinibus versari, ut ex alio deinceps prorsus aliud fieret: animum vero unum eumdem sibi constanter manere, et quamquam viribus, facultatibus, aliisque rebus vel auctis, vel imminutis, vel mutatis; tamen sui conscientiam retinere, ut quisque

illam a primo inde infantiae tempore continuet, atque hoc firmissime tueatur, se eundem ipsum esse, qui ante multos annos fuerit. Ita enim se res habet, ut cujusque animus se quasi teneat, seque ipse alloquatur : « Ecce ! hoc quidem corpus meum ex alio aliud est factum, neque quidquam fere vel materiae vel formae retinuit pristinae; at vero sum tamen ego idem, ipse ille ego, qui fui quondam ». Et quod postea Pythagoras ad animorum migrationem accommodavit, hoc suo quisque sensu intelligere, et alios admonere poterat :

Utque novis fragilis signatur cera figuris,
Nec manet, ut fuerat, nec formas servat easdem,
Sed tamen ipsa eadem est : animam sic semper eamdem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.

Huc accedebat desiderium tuendae conservandaeque vitae, ab ipsâ Naturâ hominibus ingeneratum; quod eam habet vim, ut continuo inde aliud existat desiderium, vitae nimirum etiam ultra tumuli metam extendendae atque continuandae. Quod quidem ut suâ quisque, ita eorum quos amaret, causâ cupiebat. Nam quum mors abstulisset vel parentem, vel liberos, vel fratrem, vel alium quemque amoris et consuetudinis vinculo conjunctum hominem; non reperiebant quam sibi aliisve certiorem adhiberent luctûs medicinam, nisi spem et persuasionem eam, mortuorum animos, exstincto corpore, tamen superstites esse, et in aliis regionibus coeli terrarumve degere ac vigere : et fore, ut ipsi quoque, decurso hujus vitae spatio, in easdem regiones transferrentur, et amicorum pridem

defunctorum consuetudine denuo fruerentur. Porro ita fieri necesse erat, ut eorum, quos interdiu luxissent, per somnium imagines viderent, cum iisque tamquam vivis agerent. Cumque antiquissimis temporibus somniorum visis divinandi vis tribueretur, eo facilius homines in eam incidebant opinionem, ut ex illâ divinatione animorum immortalitati auctoritatem repeterent. Itaque, ut recte animadvertit Cicero, *Qui nondum ea, quae multis post annis tractari coepissent, physica didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum naturâ admonente cognoverant: rationem et causas rerum non tenebant: visis quibusdam saepe movebantur, hisque maxime nocturnis, ut viderentur hi, qui vitâ excesserant, vivere.* Vigilantibus quoque ex viriditate luctûs, quum diu moerori et cogitationi defuncti indulsissent, ejus accidebat imago, et mentem eo vehementius percutiebat, quo acrius desiderio cari capitis affecta esset. Jam vero mentibus gravi calamitate tristitiâque oppressis neque ratio neque judicium constare facile potest: contra, quidquid iis objicitur, magis ex desiderio suo, quam rei veritate, interpretantur; unde factum, ut falsa diurna nocturnaque visa pro veris certisque haberentur ac celebrarentur. Adeo verum est, quod Lucretius ait,

Multoque (homines) *in rebus acerbis*
Acrius advertunt animos ad relligionem.

Quamquam hic quidem cum superstitione tollit religionem, cum errore abjicit veritatem, et mortis metum ita ex hominum mentibus evellere co-

natur, ut omnem immortalitatis spem praecidat. Nam, inquit,

Et metus ille foras praeceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo;
Omnia suffundens mortis nigrore: neque ullam
Esse voluptatem, liquidam puramque relinquit.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est,
Non radii Solis, neque lucida tela Diei
Discutiant, sed Naturae species, Ratioque.

Sed age Lucreti, quaenam illa est naturae ratio et cognitio, quâ hunc ab humanis mentibus terrorem amoveas? Quae est illa recondita et salutaris humano generi sapientia, magistri tui ac ducis Epicuri nata ingenio? Hae nimirum, inquit, sententiae vana sunt visa et simulacra mortuorum: animus cum corpore interit: Dii nihil curant humanas res, nec ulla est Providentia eorum: nam

Quasi membranae summo de corpore rerum
Dereptae volitant ultro citroque per auras;
Atque eadem nobis vigilantibus obvia mentes
Terrificant, atque in somnis, cum saepe figuras
Contuimur miras, simulacraque luce carentum;
Quae nos horrificè languentes saepe sopore
Excierunt: ne forte animas Acherunte reamur
Effugere, aut umbras inter vivos volitare;
Neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
Cum corpus simul, atque animi natura peremta,
In sua discessum dederunt primordia prima.
Et nebula ac fumus quoniam discedit in auras,
Crede animam quoque diffundi, multoque perire
Ocius et citius. —
Omnis etiam per se Divum natura necesse est
Immortali aevo summâ cum pace fruatur,
Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis,

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Praeclara scilicet ratio! hoc nimirum erat sapere, ut ostenderes, quod ne aniculae quidem credunt, nullum apud inferos esse Cerberum, nullam Stygem: tum continuo concluderes, nullam esse Dei providentiam, nullam animorum immortalitatem. Et habet tamen nostrum seculum his simillimos homines, qui iisdem jactandis ratiunculis, soli rerum naturam cognoscere, soli philosophari sibi videantur. De quibus quum cogito, solet in mentem mihi venire ejus reprehensionis Epicureorum, quâ Tullius usus est: *Soleo*, inquit, *saepe mirari nonnullorum insolentiam philosophorum, qui naturae cognitionem admirantur, ejusque inventori et principi gratias exsultantes agunt, eumque venerantur ut Deum. Liberatos enim se per eum dicunt gravissimis dominis, terrore sempiterno, et diurno ac nocturno metu. Quo terrore? Quo metu? Quae est anus tam delira, quae timeat ista, quae vos videlicet, si physica non didicissetis, timeretis,*

Acherusia templa alta Orci
Pallida leti obnubila tenebris loca.

Non pudet philosophum in eo gloriari, quod haec non timeat, et quod falsa esse cognoverit? E quo intelligi potest, quam acuti naturâ sint, quoniam haec sine doctrinâ credituri fuerunt. Praeclarum autem nescio quod adepti sunt, qui didicerunt, se, cum tempus mortis venisset, totos perituros! Quod, ut ita sit, quid habet ista res aut laetabile, aut gloriosum,

Et vero intelligebat Epicurus immortalitatem animorum tam arcte conjunctam esse cum providentiâ divinâ, ut cum eâ vel stare vel cadere videretur. Nam rationibus modo commemoratis, quibus homines in opinionem de immortalitate animorum inducti sunt, accedit et plurimum momenti affert ea ratio, quae a summi Numinis virtutibus duci solet: quaeque sine dubio una omnium est antiquissima. Neque etiam recens et aliunde in humanum genus invecta est opinio, sed cum ipsâ universi et naturae contemplatione nata est sententia, esse quamdam infinitam vim atque mentem, quae hunc mundum procreaverit, ornaverit, et etiamnum gubernet. Quod licet non ita dicimus, ac si notio Dei omnibus hominum mentibus ab ipsâ naturâ insita atque adjuncta sit: hoc tamen haud dubitanter affirmamus, nullam facile gentem fuisse tam feram atque immanem, quin ejus mentem divini numinis imbuerit opinio; eamque opinionem late per humanum genus inde fere ab ejus incunabulis dominatam esse. Igitur ex hâc sententiâ duplex continuo existebat ratio, quae ad animorum immortalitatem duceret. Prima ejusmodi erat, quod cum Deus humanam naturam ex duabus junxisset partibus, animo et corpore, minime pro sapientiâ ejus videbatur, ut parti utrique idem vitae spatium constituisset. Quippe in animo divina quaedam et incredibilis apparebat vis, in corpore terrena fere moles et tarditas: ut minime credibile videretur, praestantiorem partem cum deteriore eundem habiturar exitum. Quid enim? Deus posteaquam animis coe

lestem quemdam vigorem atque impetum indidisset, quo concitati omnem susciperent laborem, ut ex corporis faece et squalore emergerent sese, aditumque sibi aperirent majoris spatii, quo ad omnem ingenii praestantiam excurrerent: Deus igitur tantam tamque praeclaram vim paucorum annorum brevitate evanescere sinat? et, velut iniquus certaminis judex, in hoc spatium ex transverso immittat mortem, quae illum ad virtutem cursum intercluderet penitus, et ipsum adeo animum exstingueret? Non profecto is est Deus, ut, quod vel in homine reprehendendum sit, illud in ejus numinis vim et majestatem cadere queat. Si quis praedii dominus generosae arboris semen terrae mandasset, ad ejusque culturam plurimum attulisset industriae ac diligentiae, quum vero primum ad justae arboris magnitudinem excrevisset, et ex laeto flore uberrimi spem fructûs ostendisset, tum vero idem dominus arborem a stirpe avellat abjiciatque, nonne vel temerarium, vel stultum etiam appellemus? Deum vero quid dicamus? siquidem coeleste illud ingeniorum semen corporibus indidit; quum vero tempore et labore multo adolevisset, atque ad eam pervenisset maturitatem, ut primum fere sapientiae fructum ferret, tum vero has tam vegetas animi radices cum ipso corpore exstingui sinat? Nolo verbis eloqui, quod vel tacitâ mente cogitare impium est. Sed hinc est illa Theophrasti, magni inprimis viri, querela, qui *moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam dedisset, quorum id nihil interesset; hominibus vero, quorum*

id maxime interfuisset, in tam breves angustias aevi inclusisset : *quorum si aetas potuisset esse longinquior*, *futurum fuisse*, *ut*, *omnibus perfectis artibus*, *omni doctrinâ hominum vita erudiretur. Querebatur igitur se tum*, *cum illa videre coepisset*, *exstingui.* Caeterum calamitatis hujus unicum est solatium in Divinâ providentiâ. Ea quippe et est, et fuit humanae rationis via, ut hoc apud se quasi decerneret atque statueret, aut nullum esse Deum, aut eum, qui animorum vitam ultra mortis terminum extenderet atque continuaret. Atque ex hac ratione profectus Cicero, cum multa praeclare disseruit, tum inprimis illud, quod ad confutandum mortis terrorem valet : *Eo tamen simus animo* inquit, *ut horribilem illum aliis mortis diem nobis faustum putemus : nihilque in malis ducamus*, *quod sit vel a Diis immortalibus*, *vel a Naturâ*, *parente omnium*, *constitutum. Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus : sed profecto*, *fuit quaedam vis*, *quae generi consuleret humano*, *nec id gigneret aut aleret*, *quod*, *cum exantlavisset omnes labores*, *tum incideret in mortis malum sempiternum. Portum potius nobis paratum et perfugium putemus* ».

Veniamus ad alteram rationum, quae ex Divinâ naturâ colligebantur ad vindicandam animis immortalitatem. Nimirum quum Divinam vim informat humana ratio, non illa pravis artibus et disciplinis corrupta, sed sana, integra et nativa, non alio ducitur consilio, nisi ut ad eam vim, tamquam causam, rerum omnium creationem gubernationemque referat. Igitur si Deum immortalem in-

ducimus, inducamus eum dignâ immortali Deo ratione, easque tribuamus ei laudes et virtutes, quae infinitae ejus et immortali naturae congruant. Sed ex his virtutibus inprimis esse *Sapientiam*, *Potentiam*, *Benevolentiam*, *Justitiam*, ipsa profecto res et natura declarabat unicuique non hebetissimo homini ingenio. At vero illarum virtutum vim atque effectus in rerum humanarum gubernatione saepissime requirebant: bonis male, malis bene esse videbant. Ecce vir probus et honestus et patriae amantissimus vitam pauperem et aerumnosam degit, neque bonam adeo famam tueri potest, sed a malo cive, qui tyrannidem molitur, falso crimine accusatus in commune omnium odium adducitur, et supplicio afficitur. Accusator, veluti re bene gestâ, civium errorem in lucro ponit, floret auctoritate et gratiâ; unus habetur dignus, cui respublica committatur; occupat denique tyrannidem; tum vero neminem prae se hominem putat; crudeliter et superbe imperat, leges fingit ac refingit; ut quisque civium apud eum in suspicionem venit, ut apud quemque pristinae libertatis spiritum vigere arbitratur, ita quemque vel exilio afficit, vel bonis mulctat, vel carnifici tradit; ipse omnibus libidinibus obtemperat, nullo non fruitur genere exquisitissimarum voluptatum; tandem exactâ aetate quietus in lectulo moritur, ac tyrannidem filio relinquit. Talis erat ille apud Syracusanos Dionysius, talis erat apud Romanos Sylla, tales et priscâ et recentiore aetate apud multos populos multi. Quid vero cives tam immanis belluae potestate constrictos de divinâ Providen-

tiâ cogitasse putemus? Credibile est, alios omnem hanc Providentiae opinionem cum spe meliorum temporum abjecisse: alios, et quidem longe plures, illud credidisse, quod sperarent, et sanius etiam judicasse, quandoquidem divinae gubernationis justitia in hujus vitae brevitate absolvi non potuisset, post corporis mortem demum praemia poenasque suas cuique tributum iri:

Tune diu Baccho indulgens, Venerique nefandae,
Pauperis agricolae pinguem populatus agellum,
Ora manusque tui respersus sanguine fratris,
Non hic morte obitâ, ast illic dabis, improbe, poenas.
Scilicet incolumis sextum jam Consul in urbe
Atque iterum fias, et tot demiseris ense
Egregios diro cives pallentibus umbris,
Lumina tu patriâ claudas securus in aulâ?
Et jam sub terris placide aeternumque quiescas?
Non ita! mî poenas sceleratâ in morte rependes.
Non ibi judicium corrumpes, nec reus auro
Te redimes grandi, nec cincta altaria circum
Effigies sanctorum hominum funalibus altis
Tete igni eripient, aris impostaque thura:
Non in judicium versis crudeliter armis
Restitues dominum tete: sed tristia tandem
Funera post porro faciet manifesta fidem res,
Et quae sint poenae, mihi post narraveris ipse.

Itaque Legislatores antiquissimi, quum intelligerent non satis esse praesidii in legibus humanis ad coërcendam vim et audaciam improborum, hoc inprimis efficere studuerunt, ut civium suorum mentes imbuerent metu Deorum immortalium, qui praecipue post hanc vitam bene factis mortalium praemia, et male factis poenas constituissent. Atque reperimus, eos viros, qui primi rudes et

solivagos homines ad societatem vitae redegerunt, ac legum vinculis constrinxerunt, usos esse opinione Divinae Providentiae atque immortalitatis animorum veluti fulcro ac fundamento statûs civilis et communis salutis. Igitur Orpheus, quos homines ex agresti et solitariâ vitâ ad communionem civitatis conciliavit, eosdem obligavit religione mysteriorum, quibus et Deorum vindicta placaretur, et felicis post hanc vitam sortis spes ostenderetur.

Sylvestres homines sacer interpresque Deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus :
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.
— — — *Fuit haec sapientia quondam*
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Optima moliri, leges incidere ligno.

Fuit ante Orpheum Dardanus, quippe qui secundum verisimillimas rationes temporum aequalis Josuae vel Moysi fuit. Hic, ut Virgilius ait, oriundus erat ex Tyrrheniâ, inde in Samothraciam, antiquam illam mysteriorum sedem, pervenit, et regnum Trojanorum constituit : atque, teste Diodoro Siculo, mysteria, quae jamdudum in Samothraciâ colebantur, ad certam rationem revocavit. Unde apparet, quam levis, ne dicam falsa, eorum sit opinio, qui contendunt, mysteria ab Orpheo demum ex Aegypto in Graeciam esse delata. Quid Minoëm dicamus, vetustissimum celeberrimumque Cretensium legislatorem, quem profecto numquam fabulae auctoritas judicem inferorum constituisset, nisi ipse leges, quas tulerat, immortalitatis et Providentiae divinae religione sanxisset. Atque, ut omittamus Rhadamanthum, Aeacum, ejusdem judicii socios, aliosque ex eâ aetate, veniamus ad pro-

piores: qui licet multi fuerunt, unum commemoremus Numam Pompilium. Jucunda sunt cognitu, quae de illo prodiderunt Livius et Plutarchus. Nam omnium primum ad multitudinem imperitam et illis saeculis rudem efficacissimum arbitratus Deorum metum, Pontificem constituit, qui non modo coelestes caerimonias, sed justa quoque funebria placandosque manes edoceret. Quae quidem jura neque constituta, nec tam inviolabili religione sancita essent, ut recte affirmat, si homines arbitrati essent, nullum sensum habere mortuos, et animum cum corpore perire. — Caeterum, quod modo diximus, ad propagandam sententiam de animorum immortalitate non tantum veras, sed falsas etiam valuisse rationes: fuit ex falsis una valde illa efficax ad sensum imperitae plebis, magica nempe mortuorum evocatio. Ut enim quaeque rudior est et incultior gens, ita magis eam ad superstitionem ferri, vatibus, sortilegis et praestigiatoribus deditam esse reperiemus. Igitur antequam medicina redigeretur ad aliquam artis rationem, plurimum scientiae opinione et auctoritate valebant incantatores et praestigiatores illi, qui miraculis et occultâ Deorum immortalium ope morborum sanationem profiterentur. Et erant adeo, qui se tantâ vi potentiâque praeditos esse jactarent, ut etiam defunctos ex morte ad vitam reducere possent. Qui quidem etiamsi re ipsâ et experimento vani deprehenderentur et confutarentur, imperitam plebem tamen patronam habuerunt, et prudentiores nonnumquam deceperunt. Hinc jam antiquissimis temporibus illa nata est fabula de Aesculapio Jovis fulmine percusso, quod non contentus

aegrotos restituisse sanitati, mortuos etiam ad vitam revocare conatus esset. Hinc ille Orphei, Herculis, Thesei ad inferos descensus. Hinc illa per Graeciam et barbaras gentes ψυχοπομπεῖα, seu loci ubi defunctorum animi ex inferis in conspectum et colloquium viventium excitarentur. Hinc illa Orphei et Musaei religio mysteriorum; quae et in hac vitâ propius cum piis defunctorum animis et Diis immortalibus commercium ostendebat, et post hanc vitam spem felicioris conditionis faciebat: quae profecto religio numquam tantam apud Graecos auctoritatem sanctitatis nacta fuisset, nisi certae de animorum immortalitate opinioni, tamquam fundamento, superstructa fuisset.

Incredibile dictu est, A. H., quantam vim habeant ad animos non tantum vulgi, sed politiorum etiam hominum, res novae et obscurae. Neque raro facilius credimus et studiosius consectamur res abditas, quas intelligere non possumus, quam eas, quas praesentes manifesto sensu percipimus. Ecce! saepius gloriamur, nos tale vivere saeculum, ut, disjectâ penitus omni superstitione, in quodam scientiae lumine versemur. Et nos ipsi, quod sine arrogantiâ dicere possumus, in politioribus gentibus haud infimum tenemus locum. Et tamen hodieque sortilegae sunt aniculae, quae profiteantur, se nosse quo pervenerit, si quid furto ablatum sit. Quae quidem aniculae non essent, nisi essent aliae aniculae et viri similes aniculis, qui fidem iis haberent. Quid? recens adhuc est memoria *Suedenborgii*, quem Vestrum, ut opinor, haud pauci in hac urbe degentem cognoverunt. Hic vero quae quantaque prodigia com-

memorare solebat? quae si quis nosse cupiat; ei ipse satisfaciet *Suedenborgius* spisso volumine, quo posteritatem beavit. Neque tamen stultus erat aut ipse, aut stulti omnes, quos invenit suae opinionis patronos. Quid tandem? Nonne sunt, qui illam diu explosam Chaldaeorum divinationem reducere conantur, et mortis terminum, et nescio quid praeterea, ex horoscopio, ut vocant, praedicere se fateantur? Quibus equidem artem suam relinquo, nec invideo. Hoc unum Vos moneo, ne, quamdiu his opinionibus dediti sumus, ita magnopere de saeculi nostri luce ac praestantiâ gloriemur; neque nobis soli sapere videamur, et antiquos temere, ut fit, *caecos Ethnicos* appellemus: ac si vero ipsi tam acute videremus. Sed ita sumus a naturâ comparati, ut nobis ipsi facile veniam habeamus, aliorum vitia acerbe reprehendamus: aliena celeriter detegamus, nostrá ne videamus quidem. Discamus igitur imbecillitatem humani ingenii cognoscere: discamus et bona et mala nostra ex re et vero aestimare. Numquam non in humano ingenio virtutes cum vitiis conjunctae sunt. Sed hic nimirum est fructus philosophiae longe uberrimus, ut vitia minuamus, virtutes augeamus, et quotidie aliquâ parte superstitionis, erroris, vitii, pravarumque opinionum liberemur.

Et hactenus quidem de rationibus veris falsisque, quibus homines primum sponte et sine doctrinâ in opinionem immortalitatis inducti sunt. Proximâ lectione ad eam accedemus partem, quâ de ipsis virorum doctorum et sapientum placitis atque decretis exponatur.

LECTIO SECUNDA.

Superiore lectione disputavimus de causis iis, quibus mens humana, licet nondum disciplinis exculta, suâ sponte tamen ipsa in opinionem de animorum immortalitate defertur. Proximum est, ut videamus, quibus incrementis aucta, quibusque gradibus ad persuasionis firmitatem creverit haec opinio, posteaquam rerum abditarum causae ab hominibus indagari, et adeo philosophiâ frequentari coeperunt. Quâ quidem quaestione soli nobis spectandi sunt Graeci. Nam reliquae gentes, Phoenices, Aegyptii, Persae, Indi: reliquae igitur gentes, quae aliquâ sapientiae laude floruerunt, non fere ultra eas pervenisse videntur rationes, quas superiore lectione explicuimus: sive quod ita se res habet, sive quod earum philosophiae nulla magnopere ad nostram aetatem pervenerunt monumenta. Graeci

sunt, qui philosophiam ad justae doctrinae rationem magnitudinemque excoluerunt: Graeci sunt, quibus nos philosophiam nostram debemus: Graeci denique sunt, quorum philosophia elegantissimis prodita monumentis ad posteritatem conservata est. — Sed si doctrinam de animorum immortalitate in quamdam quasi historiae formam describamus; reperiemus, eam tribus fere contineri aetatibus. Harum prima est ab initiis studii sapientiae usque ad Platonem: secunda, inde a Platone usque ad restituta philosophiae et bonarum literarum studia, seculo XVI: tertia ab illo tempore usque ad nostram aetatem. Quarum aetatum nunc quidem de primâ deinceps exponere adgrediemur.

Jam, qui primi rudem Graeciae gentem ad cultiorem vitam et morum disciplinam redegerunt, fuerunt Dardanus, Linus, Orpheus, Musaeus. Ex quibus Orpheus plurimos habuit progressus in rerum divinarum humanarumque scientiâ, plurimaque hujus scientiae capita carminibus prodidisse videtur. Neque me fugit, ea quae hodieque sub Orphei nomine carmina et fragmenta supersunt, non auctorem habere antiquum illum Orpheum, atque adeo Aristotelem dubitasse, an unquam fuerit Orpheus. Neque tamen hoc eo valet, ut negemus antiquissimis temporibus inter Graecos Orphicam quamdam disciplinam celebratam fuisse, neque ipse hoc negavit Aristoteles, quippe qui frequentem ejus facit mentionem. Hujus igitur disciplinae auctor, quisquis tamdem fuit, hoc inprimis egit, ut per mysteria homines cum religioni Deorum immortalium adstringeret, tum eorum animos imbueret

spe praemiorum, et metu poenarum post hanc vitam. Et videntur omnino ejus rei causâ etiam interioris doctrinae de Naturâ rerum partes haud paucae per mysteriorum ritus adumbratae fuisse: quod cum aliunde colligitur, tum haud obscure significavit Cicero, ubi dicit, *mysteriis explicitis et ad rationem revocatis, rerum magis naturam quam Deorum cognosci.*

Sed antiquissimâ illâ aetate, quamquam philosophiae nomen nondum inventum esset, res ipsa tamen erat, ejusque studium tractabatur, eratque duplex, a quo tractaretur, hominum genus. Alii tradebant interiorem doctrinam, quae rebus divinis et naturalibus continetur, dicebanturque *Theologi*, quales fuerunt ii, quos modo nominavimus, Dardanus, Linus, Musaeus, et inprimis Orpheus : alii res humanas, i. e. morum disciplinam et disserendi rationem tractabant, et veteris aevi ac virorum fortium facta posteritati commendabant; quo in genere fuerunt Homerus, Hesiodus et alii. Jam theologiae seu physices, (nam haec duo nomina eamdem rem significant veterum consuetudine) hujus igitur disciplinae quae fuerit ratio, quodque intercesserit inter eam et alteram, quae postea per Thaletem inducta est, discrimen, exponam vobis ex Plutarcho, præstantissimo scriptore, qui acute hanc in rem disserit in libro De oraculorum defectu. « *Cum duae sint*, inquit, *causae*, *quibus rerum natura continetur*, *altera efficiens eaque praestantior*, *altera patiens eaque deterior*, *seu materia ; antiquissimi theologi et poëtae solâ usi sunt efficiente causâ*, *hoc per-*

vulgatum Orphei dictum ad omnem quaestionem adhibentes,

Ζεὺς ἀρχὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα πέλονται.

Principium Jupiter, medium Jovis, omnia ab ipso:
Sed ad causas naturales et necessarias numquam accesserunt. At vero qui postea fuerunt physici, diversam a prioribus inierunt viam, divinum illud principium reliquerunt, et omne momentum causae in materiâ corporum eorumque affectionibus et mutationibus posuerunt. Quo fit, ut in utrorumque ratione aliquid desit: in vetere quidem instrumenta et materia; in recentiori causa efficiens et finis. »

Itaque ab Orphicis, ut omnis doctrina naturalis, ita ea pars ejus, quae est de animi naturâ, crassâ, ut ajunt, tractabatur Minervâ. Statuebant post mortem remanere aliquod corpus vel corporis simulacrum, quod aptum esset ad actiones mutationesque tales, qualibus praesens continetur vita, quodque susciperet praemia poenasve bene vel secus factorum. Non quaerebant, qualis esset natura animi a corpore disjuncti; nimium adhuc erant adstricti corporeis imaginibus, quam ut philosophiam a sensibus ad puram cogitationem mentis, a rebus adspectabilibus ad res intelligibiles convertere possent. Satis habebant, veluti oraculum ex tripode pronuntiasse, ita esse a Deo constitutum, ut animus post corporis mortem remaneret, ac praemia poenasve susciperet. Cumque ratio exquireretur, quâ fieret, ut animus sine corpore subsisteret ac vitam tueretur; nulla proferebant argumenta ex naturalium rerum interiore cognitione;

manebant in vulgari opinione; animos tamquam corpora moveri, versari, vivere apud inferos. Hinc Elysii campi et Tartarus; hinc Charon, Cerberus, Styx et Pyriphlegeton : quam opinionem postea quoque auxerunt poëtae, quippe qui eam cupide arriperent, veluti amplam materiam, in quâ facultatem suam ostenderent. Quem quidem errorum fontem et acute aperuit, et graviter enarravit Cicero : « *Sed*, inquit, *ut Deos esse naturâ opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus : sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium : quâ in sede maneant qualesque sint, ratione discendum est. Cujus ignoratio finxit inferos, easque formidines, quas tu contemnere non sine causâ videbare. In terram enim cadentibus corporibus, hisque* humo *tectis, e quo dictum est* humari, *sub terrâ censebant reliquam vitam agi mortuorum. Quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt : quos auxerunt poëtae. Frequens enim consessus theatri, in quo sunt mulierculae et pueri, movetur audiens tam grande carmen :*

Adsum atque advenio Acherunte vix viâ altâ atque arduâ,
Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
Maximis, ubi rigida constat crassa caligo inferûm.

Tantumque valuit error, qui mihi quidem jam sublatus videtur, ut, corpora cremata cum scirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quae sine corporibus nec fieri possent, nec intelligi. Animos enim per se ipsos viventes non poterant mente complecti : formam aliquam figuramque quaerebant. Inde Homeri tota νεκυία *: inde ea, quam meus ami-*

cus Appius νεκυομαντεῖα *faciebat : inde in viciniâ nostrâ Averni lacus*,

> Unde animae excitantur, obscurae umbrae, aperto ostio
> Alti Acheruntis, fuso sanguine, imagines mortuorum.

Has tamen imagines loqui volunt : quod fieri nec sine linguâ, nec sine palato, nec sine faucium laterumve et pulmonum vi et figurâ potest. Et qui hanc opinionem sequebantur, *nihil animo videre poterant, ad oculos omnia referebant. Magni autem est ingenii, revocare mentem a sensibus, et cogitationem a consuetudine abducere.* » — Dicitur autem νεκυία liber undecimus Odysseae, quo Ulyssem ad inferos deducit Homerus, et cum defunctorum animis colloquentem facit : quod exemplum secutus est Virgilius libro sexto Aeneidis. Quare quum videamus Homerum, Hesiodum, aliosque poëtas hanc opinionem celebrasse ; nolimus mirari, eam in hominum ingeniis alte defixam esse. Erant enim poëtae ii, qui primi doctrinas traderent : totumque sapientiae studium solâ poësi priscis illis temporibus continebatur. Neque etiam miremur, poëtas eam tenuisse opinionem ; et potius intelligamus, hoc ita nec aliter fieri debuisse. Causae fuerunt duae, eaeque verissimae. Prima est in ipso poëseos officio. Nam ut poësis plurimis maximisque partibus mirifice conjuncta est cum philosophiâ, tamen hac in parte ab eâ dissentit, quod animum non a rebus corporeis ad intelligibiles abducit, sed contra potius a rebus intelligibilibus et incorporeis ad res adspectabiles et corporeas convertit, et omne cogitatum, quoad ejus fieri potest, corporeâ imagine complectitur, et quasi sensibus subjicit. Cumque

omnis hominum cognitio a sensibus corporis oriatur, et artifices, qui hanc veluti materiam tractarent, poëtae, primi fuerint sapientiae magistri, ita fieri necesse erat, ut rerum incorporearum ideae et verba ducerentur a rebus corporeis. Altera est causa, quod Homerus et alii poëtae propiores fuerunt aetati Orphei, cujus disciplina ubique veluti Deum ex machinâ adducebat: quae ratio quo plus habet admirationis, et quo magis valet ad hominum animos percellendos, eo est conjunctior cum poësi.

Veniamus ad ipsos philosophos, quorum circiter eâdem aetate duplex exstitit familia, altera *Ionica*, auctore Thalete; altera *Italica*, auctore Pythagora. De quibus antequam dicamus, duo memorandi sunt viri, qui proxime illam aetatem praecesserunt, Pherecydes et Epimenides. Et fuit quidem uterque theologus ex illâ rudi physicâ Orphicorum: sed eam Pherecydes ad subtiliorem disciplinam rationemque redigere studuit: cumque ad hoc usque tempus unica fuisset poësis, quae rerum memoriam ad posteritatem transmitteret, et omne doctrinae praeceptum versibus, tamquam oraculis, enuntiaretur; Pherecydes primus oratione solutâ usus, et subtiliorem copiosioremque explicandae sententiae rationem secutus est. Igitur et librum prosâ conscripsit oratione, et, ut Cicero ait, *quod literis exstet, primus dixit animos hominum esse sempiternos*. Qui locus ita est accipiendus, Pherecydem primum fuisse, qui diserte scriberet et literis mandaret illam sententiam de immortalitate animorum. Sed liber ille cum antiquitus jam pe-

rierit, caremus etiam cognitione rationum argumentorumque, quibus illam sententiam confirmaverat Pherecydes. — At vero Epimenidis doctrina conjunctior etiam erat cum Orphicâ ratione. Rerum naturalium scientiâ et medicâ valebat arte, ac celebrabatur ea per Graeciam fama, eum propriore quodam Deorum immortalium frui consuetudine, eâque scientiâ praeditum esse, quâ eorum et gratiam conciliare, et iram avertere posset. Nota est in vulgus fabula illa, ad cujus exemplum postea aliae confictae sunt, eum per quinquaginta annos dormivisse in antro Jovis, quod est in Cretâ insulâ; unde experrectus quum rediisset domum, omnia alia et alios homines invenisse, neque agnitum fuisse, nisi ab uno vetulo, fratre nimirum juniore, quem in antrum abiens puerulum domi reliquisset. Quâ fabulâ, ut perhibet Maximus Tyrius, doctissimus Platonicus, illud significare voluit Epimenides, hanc vitam esse somnium diuturnum, ex quo ad veras vigilias vitamque hominum animos suscitatum iri. Caeterum Athenas arcessitus est auctoritate Solonis ad abigendam pestem et placandam Deorum iram, unde illa pestis exstitisse putabatur. Igitur cum aliis urbem sacrificiis lustravit, tum aras ponere jussit Diis immortalibus: in quibus aris etiam fuerunt, quae consecrarentur *Deo ignoto et sine nomine*: quarum fuit una, quam multis postea seculis vidit Paulus apostolus. Et constat, ejusdem Epimenidis auctoritate atque operâ usum esse Solonem ad civium animos in concordiam redigendos, a superstitione liberandos, saniore simplicioreque

Deorum cultu instituendos, et providentiae atque immortalitatis opinione imbuendos.

Hac igitur aetate subtilior tandem philosophiae ratio in publicum producta est a Thalete Milesio, cujus tota disciplina fuit physica, id est, ut rerum causae ex corporum naturâ et elementis ducerentur. Hic quum intelligeret, nullam esse in corporum naturâ ejusmodi vim, quae causam et principium motus contineret, adhibuit causam efficientem ejusmodi, cujus vi corpora moverentur. Cumque corporum principium atque elementum statuisset aquam, unde omnia orirentur, et in quam dissolverentur omnia; huic materiae adjunxit causam efficientem, quae ex aquâ omnia fingeret: eamque causam vocabat Mentem et Deum. Et ut mundo universo tribuebat Mentem seu Deum, quo gubernaretur, eumque remotum a corporeâ naturâ; ita hominum mentes ejusdem ac Deum generis, id est, incorporeae naturae, esse voluit. Itaque, ut est apud Diogenem Laërtium, statuit *animos hominum immortales esse.* Quinimo totam naturam plenam animorum ac daemonum esse voluit; nimirum, quod videret, multa fieri, quae ex causis naturalibus necessariis et mente destitutis proficisci non possent. Quod quidem, teste Cicerone, ad moralem disciplinam accommodavit, cujus haec sunt verba: « *Thales, qui sapientissimus in septem fuit, dixit, homines existimare oportere, omnia quae cernerentur, Deorum esse plena; fore enim omnes castiores, veluti qui in fanis essent maxime religiosis.* » Atque, ut proditum est ab auctoribus gravissimis, definivit Animam *φύσιν ἀεὶ κινητὸν καὶ αὐτοκίνητον*,

naturam s. substantiam, *quae se ipsa moveat, ac semper moveatur* : quae quidem sententia postea in Platonicam, et nostris temporibus in Leibnitianam manavit philosophiam : quibus in scholis hoc tamquam decretum sancitumque est, animum semper in actione esse, numquam quiescere : quod nisi ita esset, semper quiete, quâ semel occupatus esset, teneretur, neque unquam ad actionem iterum excitari posset. Plutarchus in eo libello, qui vocatur Septem sapientium convivium, Thaletem cum reliquis et aliis ejus aetatis hominibus doct apud Periandrum, Corinthi tyrannum, convivium celebrare ac disserere facit. In his etiam est Anacharsis Scytha, qui haud inscite Thaletis opinionem explicat, ut animis hominum duplex motu tribuatur, alter naturalis et proprius, alter a Deo profectus, qui animo saepius humano utatur tamquàm artifex instrumento. Sed ipsa vobis referam Plutarchi verba : « *Post haec Anacharsis ita locutus : Cum recte senserit Thales, in omnibus praecipuis mundi partibus ac maximis animam esse : non est mirandum, pulcherrima quaeque divino nutu effici. Ut enim corpus est animi instrumentum, ita vicissim animus noster instrumentum Dei est. Et sicut corpus ex se et per se ipsum saepissime movetur, multo vero plures melioresque motus ab animo accipit : ita vicissim animus noster ut plurimum se ipse movet, suoque instinctu agit ; saepe autem a Deo movetur, eique tamquam pulcherrimum instrumentum pulcherrimo artifici sese utendum regendumque praebet. Inique enim et absurde comparatum sit, si aqua, ignis,*

pluvia, ventus, nubes, instrumenta sint Dei, quibus multa vel servat et alit, vel destruit ac perdit : animalibus vero ad nullum opus utatur. Cum rationi multo sit magis consentaneum, animos a Divinâ vi suspensos ei inservire motusque ejus
i, et multo concinnius efficaciusque ob-
re, quam Scythis arcus, aut Graecis tibiae
:. »

eniamus ad *Pythagoram*. Is fuit vel aequa-
letis, vel paulo junior eo, ut juvenis se-
idire potuerit. Uterque fuit sectae auctor,
icae, ille Ionicae : uterque subtiliorem phi-
ae rationem secutus est ac prodidit. Sed
sicam, quae in rebus existentibus, cor-
t, singularibus occupatur : hic metaphysi-
ideis, notionibus universalibus et re-
poreâ naturâ, ad interiorem rerum
i tendit : uterque longinquis peregri-
loctrinam collegerat, apud Aegyptio-
hos physicas et mathematicas discipli-
at : uterque summam divinamque men-
niversitati, veluti efficientem causam,
terque animorum immortalitatem ce-
l hinc iterum discamus, quam vana
opinio, qui omnem philosophiam ab
d Graecos fluxisse contendunt. Nam
idem de Divinâ naturâ multo saniores
opiniones Graeci, quam Aegyptii :
opinio de Animorum immortalitate
aletem ac Pythagoram, atque adeo
ante ipsum Orpheum in Graecis viguit ac versata est. Caeterum in animi naturâ et immor-

talitate explicandâ in diversa discesserunt. Pythagoras animum dixit esse *numerum*, *qui se ipse moveat.* Et incredibile dictu est, quot quamque varie se torserint homines eruditi in hoc Pythagorae numero interpretando. Sed nimirum constat veterum scriptorum auctoritate, numerum illum, quo animus et ipse Deus significaretur, fuisse unum eumdemque : et eam esse ejus naturam, ut contineatur mente, quae ab omni corporeâ concretione remota esset. Nam quum alii antea philosophi Deum atque animum vel ignem appellassent, vel aërem, vel aquam, vel aliud ejusmodi; Pythagoras arbitratus est, hos viros praeter sententiam suam nominum ambiguitate lapsos esse, neque satis cavisse, ut ab animi ac Dei notione informandâ omnis corporea imago atque appellatio prohiberetur ac circumscriberetur. Igitur ipse *numeri* vocabulum usurpavit, quippe cui minimum corporeae imaginis inhaereret. Et rerum quidem duas causas esse statuebat, alteram efficientem, quam μονάδα seu *unitatem* vocabat : alteram patientem seu materiam, quam δυάδα i. e. *dualitatem* nominabat. *Unitas* ei fons erat omnis veri, boni, pulchri : haec erat mens ac Deus : atque ex ipsâ, tamquam fonte, haustos esse volebat hominum animos et reliquas naturas cogitantes : quas propterea unitatis esse participes. Et vero hactenus non male Pythagorae cum Thalete convenit : praesertim si quis Lactantii interpretationem probet, quam alii quoque sequuntur, qui ait : « *Pythagoras ita definivit, quid esset Deus. Animus per universas mundi partes omnemque naturam commeans ac*

diffusus, ex quo omnia, quae nascuntur, animalia vitam capiunt. » Dissentit vero a Thalete in eâ parte, quam ab Aegyptiis mutuatus est: animos jam antea fuisse, quam corpora nascerentur, eosque varia deinceps corpora ingredi, modoque meliorem modoque pejorem in iis vitam degere, prouti anteactae vitae bene aut male factis meruissent; donec confecto hujus migrationis ambitu ad divinam naturam tamquam fontem, unde hausti fuissent, redirent. Igitur philosophiae hoc esse officium, ut animus a sordibus et alienarum rerum studiis purgatus redeat in memoriam pristini statûs et vitarum anteactarum. Inde nata est sive fabula sive opinio de Pythagora, eum dicere solitum fuisse, se vitarum, quas in aliis corporibus egisset, memoriam instaurasse, ac reperisse, se Euphorbum aliquando fuisse eum Panthoï filium, qui ad Trojam a Menelao interfectus fuisset. Sed audiamus Ovidium, quomodo eum ad discipulos disserentem faciat:

O genus attonitum gelidae formidine mortis!
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique piacula mundi?
Corpora sive rogus flammâ, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis!
Morte carent animae, semperque priore relictâ
Sede, novis habitant domibus, vivuntque receptae.
Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoïdes Euphorbus eram, cui pectore quondam
Sedit in adverso gravis hasta minoris Atridae.
Cognovi clypeum, laevae gestamina nostrae,
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.
Omnia mutantur: nihil interit, errat, et illinc
Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus

Spiritus : eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo.
Utque novis fragilis signatur cera figuris,
Nec manet, ut fuerat, nec formas servat easdem,
Sed tamen ipsa eadem est; animam sic semper eamdem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.

Haec igitur disciplina quum a Pythagora Crotone ac Tarenti constituta fuisset, brevi latius manare coepit per reliquas Graecas Italiae urbes; Siciliam et ipsam Graeciam Ioniamque pervasit. Sed primus, qui ex illâ scholâ librum scriberet, fuit *Alcmaeon Crotoniates*, qui juvenis Pythagoram senem audiverat. Et in eo libro diserte pronuntiaverat, *Animum esse immortalem, et ipsum suâ vi continuo moveri, velyti Solem.* Postea exstitit *Hippasus Metapontinus*, qui ausus est, quod nefas habebatur a Pythagoreis, evulgare in publicam hominum notitiam placita sententiasque ipsius Pythâgorae. Hippasi igitur illo libro sententia exposita erat ejusmodi : Rerum omnium causam esse eandem et efficientem et patientem, eundem et effectorem et materiam : nimirum ignem summe intelligentem, qui ex se ipse omnia creaverit : et ex eodem igne constare animos hominum : ejus ignis compressione et quasi condensatione res omnes gigni corporeas. Haec est illa de quatuor elementis opinio, celebrata antiquitus cum ab aliis multis, tum ab Empedocle et Heraclito. Horum deinceps mutatione, constrictione, dissolutioneve, unum ex altero nasci volebant. Terram esse omnium maxime crassam : ejus dissolutione fieri aquam : aquae dissolutione aërem, aëris dissolutione ignem : et ita constrictione ignis

fieri aërem : aëris constrictione aquam : aquae constrictione terram. Itaque animum, quo longius a terrenâ naturâ abesset, quoque propius ad igneam accederet, et ignem ipsum, quo esset purior, eo majore intelligendi facultate valere; et Deum igitur esse ignem omnium purissimum. Hoc etiam addebat Hippasus, quod Stoici deinde tenuerunt, hunc mundum certis temporum intervallis conflagraturum et restauratum iri. Videmus ergo quibus in partibus et quantum a Pythagora dissenserit Hippasus. Nam, ut de hac elementorum ratione nihil prodidit Pythagoras, ita Deum et animum statuebat contineri *numero*; quod nullum aliud nomen satis a corporeâ concretione et imagine remotum reperiret, quo Dei animorumque naturam significaret. Causam praeterea efficientem cum patiente et materiâ non conjungebat, sed toto genere alteram ab alterâ distinguebat Pythagoras.

Sed quid memorem *Philolaum*? quid *Archytam*, quid *Lysidem*? quid alios magno numero Pythagoreos, qui magistri doctrinam constanter retinuerunt? *Timaeum Locrum* tamen, cujus ad nostram aetatem venit libellus de Anima mundi, ne silentio praetereamus. Hic est ille libellus, cui quasi fundamento superstruxit Plato eum librum, quo rerum et mundi ortum exposuit. Igitur Timaeus pronuntiavit, animos a Deo, primâ et aeternâ omnium rerum causâ, esse procreatos una cum reliquâ rerum universitate : quam simul cum animis, voluntate Dei, semper conservatum, neque unquam exstinctum iri : etenim abhorrere a summâ Dei sapientiâ, ut

opus egregium, quod semel fecisset, mundum nempe animosque, interire sinat. Caeterum de animorum in alia deinceps corpora transmigratione ita disserit, ut eam neque pro germanâ Pythagorae sententiâ, neque ipse credidisse, sed pro commento, quod ad imperitam plebem terrendam fictum esset, habuisse videatur. Sed referamus ipsam viri orationem Latine factam. « *Quod si quis improbus et maleficus fuerit in civitate, is cum legum poenis coërcendus erit, tum terrendus iis terroribus, per quos et a superis et ab inferis poenae denuntiantur impiis: quorum post mortem animi implacabilibus afficiantur suppliciis, aliisque laborent calamitatibus, quas haud inepte finxit Homerus, quarumque admonitione miseros mortales a sceleribus voluit avertere. Cujus ego consilium magnopere laudo. Nam, ut corpora sanamus asperis ac duris remediis, nisi vis morbi lenibus ac salubribus remediis cedere velit; ita quoque animi falsis etiam opinionibus et terroribus coërcendi sunt, nisi veris obtemperent, sanisque ducantur rationibus. Hac igitur de causâ concedendum est iis, qui rerum publicarum gubernacula tenent, ut in animis civium defigant hanc opinionem, novas quasdam et inauditas poenas apud inferos paratas esse impiis, eorumque animos in alia ultro citroque meare corpora, ubi calamitatibus et omnium contemtu vexentur: veluti homicidarum animos in feras: libidinosorum in sues vel apros: levium et temerariorum in aves: segnium pigrorumque in pisces. His officiis praesidere Nemesin, quae secundâ generatione ea con-*

ficiat per ministros suos, Furias et inferna Numina. Ita constitutum sancitumque esse a summo illo totius universi creatore Deo. » Haec Timaeus.

Veniamus ad alios. Magnum fuit ingenium, magnum nomen *Empedoclis*; qui physicam rationem multis iisque praestantissimis celebravit carminibus; quae nisi temporum iniquitas absumsisset, pleniorem profecto veteris philosophiae cognitionem haberemus, et Lucretium quoque, ejus imitatorem atque aemulum, multis partibus melius intelligeremus. Atque hic quidem, licet ejus opinionem de quatuor elementis reprehendit, mirifice tamen ejus laudes celebrat; et negat quidquam illo viro Siciliam praeclarius habuisse :

Insula quem Triquetris terrarum gessit in oris :
Quam fluitans circum magnis anfractibus aequor
Ionium glaucis adspergit virus ab undis.
Quae cum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, visendaque fertur,
Rebus opima bonis, multa munita virûm vi :
Nil tamen hoc habuisse Viro praeclarius in se,
Nec sanctum magis, et mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, et exponunt praeclarâ reperta;
Ut vix humanâ videatur stirpe creatus.

Et de animi quidem naturâ videtur dissensisse a magistro Pythagorâ. Nam et Aristoteles tradit, Empedoclem statuisse, *animum existere ex quodam temperamento quatuor elementorum :* et Cicero memorat hanc ejus opinionem : *animum non esse nisi sanguinem cordi suffusum.* Quae quidem opiniones utrum vere tribuantur Empedocli, in utramque partem disputari solet a viris doctis, quorum rationes qui cognoscere cupit, adeat Joannem Da-

visium, doctissimum Ciceronis interpretem, et Cudworthum in Syst. Int.—Non est nostri consilii hanc litem disceptare : hoc unum sufficiat monuisse, Ciceronis verba ita esse accipienda, *non ut ipse sanguis cordi suffusus animus sit, sed ut ejus sit sedes :* quam Empedoclis fuisse sententiam extra dubitationem posuit idem Davisius. Et vero animi immortalitatem tueri potest is quoque, qui animum corporeae naturae esse statuit : quippe voluntate divinâ perennis et incolumis conservari potest. Atque haec videtur fuisse Empedoclis sententia. Nam et antiquorum exstant testimonia, quibus in patronis immortalitatis ponitur : et in ejus fragmentis feruntur aliquot versus, quibus transmigrationem animorum diserte tuetur. Animos hominum ait esse daemones, qui propter malefactum a Dei consuetudine atque commercio exclusi, tamquam ex patriâ in exsilium expulsi, oberrarent in terris, et ex uno deinceps in aliud corpus includerentur, donec expiatum esset scelus. Apud Athenaeum duo ejus versus leguntur, quibus profitetur, se aliquando puellam, avem, piscem, fruticem fuisse. Plutarchus adfert hos versus, quibus librum De philosophiâ exorsus est Empedocles : quos ita Latinos fecit Xylander :

Fata jubent, stant haec decreta antiqua Deorum,
Si quid peccando longaevi daemones errant:
Quisque luit poenas, coelo extorris ab alto
Triginta annorum per terras millia oberrat :
Sic et ego nunc ipse vagor divinitus exul.

Caeterum ex Pythagoreâ disciplinâ quaedam quasi propago exstitit secta *Eleatica :* cui nomen inditum est ab *Eleâ*, Graecâ Italiae urbe, quam

Latini *Veliam* dixerunt. Auctor ejus sectae fuit *Xenophanes Colophonius*, qui, pulsus patriâ, Siciliam petiit, ibique vitam degit. Et fuit is aequalis Pythagorae, natus quippe Ol. XLII; et annos vixit circiter centum. Ut haud vana sit eorum sententia, qui statuunt, eum Anaximandri Milesii fuisse discipulum. Xenophanes, igitur, quippe prodiens ex Ionicâ scholâ, quae naturam rerum ex corporeis principiis repeteret, et aëri divinitatem tribueret; Xenophanes igitur animum ad corpoream informavit naturam, eumque dixit esse πνεῦμα, id est *spiritum*, seu *motum aëris*. Quo quidem, secundum loquendi consuetudinem illorum temporum, nil aliud significasse videtur, nisi animum esse particulam illius aëris, quo, veluti numine, tota rerum universitas contineretur.

Ejus discipulus, *Parmenides Eleates*, Ionicam a magistro acceptam, et Pythagoricam, quae tum in Italiâ Graecâ florebat, rationem communi vinculo ligavit, et quodam modo mixtam in patriâ Eleâ constituit. Magna profecto et egregia illius fuit laus; cum ad vitae morumque sanctitatem, tum ad rerum scientiam, quippe qui primus de idaeis eam scripto explicuit sententiam, quam postea Plato et recentiore aetate Leibnitius uberius explicuerunt. Sed nos, quid senserit de animo, videamus. Dixit igitur, ut est apud Diogenem Laërtium, ψυχὴν et νοῦν, id est *animam* et *animum*, *unum idemque esse*. Quo loco Casaubonus, non ille pater Isaacus, sed filius Mericus reprehendit Laërtium, et corrigere tentat : non enim esse rem philosophi observatione dignam, ψυχὴν et νοῦν idem esse,

At vero minime de nihilo est illa Parmenidis subtilitas, modo eam ex linguae scientiâ interpretemur. Nam ut perperam agit, qui Latinas voces *animum* et *animam* confundat, ita qui Graecas, νοῦν et ψυχὴν. — Νοῦς et *animus* dicitur illa praestantior nostri pars, quae cogitat, judicat, imperat; ψυχὴ vero et *anima* est deterior nostri pars, eaque animalis, quaecumque tandem est, quâ motus vitalis corporis continetur. Atque ut νοῦς dicitur, quia νοεῖ, id est, *cogitat*; sic ψυχὴ dicta est à ψύχειν *refrigerare, respirare*. Atque Pythagoras, et post eum Plato, duas illas naturas constanter distinxerunt; illius quidem sententiam, refert Laërtius. « *Ita*, inquit, *Pythagorae placuit : vivere omnia, quae caloris participent, atque ideo plantas etiam vivere : neque tamen omnes animam habere. Animam vero esse particulam ex aethere avulsam. Differre enim animam a vitâ. Animam quippe immortalem esse, quoniam aether, ex quo decerpta est, immortalis sit.* » Hoc igitur loco, ut solet, minus accurate locutus est Laërtius, quum loco νοῦς et *animi*, ψυχὴν et *animam* dixit. *Animus* enim est *divinae particula aurae*, ut ex Pythagorae sententiâ cecinit Horatius :

Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque adfligit humo divinae particulam aurae.

Itaque Parmenides quum dixit *animum* eumdem esse atque *animam*, hoc sibi voluit, unam esse eamdemque naturam, quae in nobis judicet, cogitet, imperet, et calorem motumque vitalem, quo corpus contineatur atque sustentetur.

Sed veram esse nostram interpretationem, cum intelligitur ex iis, quae diximus, tum ex placito discipuli ejus *Zenonis*. Hic est ille *Zenon Eleates*, qui magistri sententiam propagavit, quique cum eo Socratem juvenem Athenis ad philosophiam adhortatus est, qui denique praeclarum ad omnem posteritatem edidit facinus, quod patriae tyrannum Nearchum interficere adgressus, atque interceptus, atrocissimos potius cruciatus pertulit, quam socios consilii proderet. Hujus igitur placitum exstat apud eundem Laërtium: « *Hominum genus*, inquit, *ex terrâ nascitur : atque nil est anima, nisi justum quoddam temperamentum humoris, siccitatis, caloris, frigoris.* » Quam quidem opinionem confutavit postea Plato, in eo dialogo, ubi Socrates moriens de animorum immortalitate disserit. De quo aliâ videbimus lectione.

Zenonis disciplinam veluti hereditate relictam suscepit atque auxit *Leucippus*. Hic primus corpuscula insecabilia, quae a Graecis ἄτομοι vocantur, induxit, eorumque concursu et cohaesione rerum naturam contineri voluit : quam rationem postea multis partibus auxit maximi vir ingenii maximaeque doctrinae *Democritus*. Hic admirabili orationis suavitate, septuaginta circiter in omni disciplinarum genere conscripsit libros, in quibus fuit unus *de Anima*, alius *de Inferno* ; quos nisi cum reliquis omnibus absumsisset vetustas, certius uberiusque nobis de viri sententiâ exponere liceret. Nunc in tanto veterum librorum naufragio nil superest, nisi ut sparsa ubique antiquitatis monumenta levibus fragmentis colligamus, ex iisque, quoad

ejus fieri potest, rerum memoriam instauremus. Et primum quidem reperiemus Leucippi et Democriti sententiam de Animi naturâ his verbis commemorari ab Aristotele : « *Democritus statuit, animum ignem quemdam esse et calorem. Cum enim infinitae sint species et figurae atomorum; ex iis, quae rotundae sint, ignes et animos esse statuit : cujusmodi sunt in aëre ramenta et pulvisculi, qui cernuntur in radiis solis per fenestram in locum opacum immissis : quorum farraginem dicit esse elementa totius naturae. Atque consentit cum eo hac in opinione magister ejus Leucippus.* » Mirae saepius et ineptae videntur philosophorum opiniones, si quis eas ex integrae disciplinae perpetuitate, tamquam avulsa ex corpore membra, separatim expromtas, spectet. Et fortasse Vestrum, A. H., sint, quibus ad hanc Democriti opinionem risus oboriatur : cui quidem risui vos ita obtemperetis, ut ne Democritum vanitatis aut stultitiae accusetis. Is enim est Democritus, ut, si eum interius inspiciamus, ejusque ingenium, doctrinam, vitam, animum, moresque reputemus, hic in primis ex totâ vetustate magnus vir haberi debeat. Hic igitur in libris *de Inferno* memoriae prodidit multa hominum exempla, qui ex morte ad vitam rediisse dicerentur, et hanc reviviscendi rationem copiose tractavit; ut constat Procli testimonio, in Commentario in librum decimum Platonis de Republicâ. Sed tanta est literarum calamitas, ut hic etiam Procli Commentarius interciderit, quum superiori adhuc seculo unum ejus exemplum Florentiae in bibliothecâ Salvi

viati ducis superfuerit. Nam Alexander Morus, in hoc ipso Athenaeo Historiarum quondam professor, per Italiam peregrinatus, illum Procli Commentarium ipse suis manibus in bibliothecâ Salviati tractavit, ex eoque hunc de Democrito locum descripsit, et in Observationibus ad N. T. vulgavit. At vero doctorum hominum cura, qui postea Procli librum Florentiae quaererent, qui profecto multi ac diligentes fuerunt : horum igitur omnis cura inanis ac vana fuit. Credibile vero est, Democritum ita reviviscentium historiam tractasse, non ut inde animis immortalitatem vindicaret; quod multi post eum magnique fecerunt viri; sed ut physicis rationibus ostenderet, quomodo vita, quum jam defecisse videatur, denuo instauretur. Hoc ex Procli quamvis corrupto loco certis tamen vestigiis tenemus, et cum aliis rationibus, tum ipsius viri moribus et ingenio colligimus. Primum igitur, vere tribui Democrito sententiam, quâ ponitur, animum non esse, nisi atomorum complexum, dubitare nos non sinit Aristotelis auctoritas, cui accedunt Diogenes Laërtius et Plutarchus, seu quisquis est auctor libri de Placitis Phil. : quorum ille hoc etiam addit, eum νοῦν et ψυχὴν, seu *animum* et *animam*, pro unâ eâdemque naturâ habuisse. Deinde Cicero negat, ad animis immortalitatem vindicandam aliquid subsidii a Democrito peti posse : nam enumeratis aliorum de animi naturâ opinionibus, haec addit : *Nisi quae forte fugiunt, hae sunt fere de animo sententiae. Democritum enim, magnum illum quidem virum, sed levibus et rotundis corpusculis efficientem ani-*

mum concursu quodam fortuito, omittamus: nihil enim est apud istos, quod non atomorum turba conficiat. Porro *Epicurus*, qui physicam rationem a Democrito sumsit, tamen quibusdam locis, inprimis de Animi naturâ, dissensit ab eo. Nam et animum ab animâ distinxit, ac licet utrumque corporis partem et mortalem esse voluit, tamen diversa munera tribuit: Democritus contra, ut modo vidimus, animum et animam unam eandemque voluit esse naturam. Haec etiam fuit opinio Democriti, particulas igneas rotundasque, ex quibus animus constaret, ita conjunctas esse cum particulis iis, quibus corpus contineretur, ut alternis deinceps contextae continuataeque essent. Quam opinionem rationibus Epicureis reprehendit Lucretius:

Illud in his rebus nequaquam sumere possis
Democriti, quod sancta viri sententia ponit:
Corporis atque animi primordia singula primis
Adposita alternis variare, ac nectere membra.

Quo magis necesse erat, dissoluto corpore, animum quoque perire. Denique quum divina providentia unum sit ex firmissimis fundamentis, quibus animorum immortalitas nitatur, hanc quoque Democritus non quidem sustulit, sed tamen labefactavit. Et mundum quidem fortuito atomorum vel necessario potius concursu natum esse, statuit: et opinionem de vi et providentiâ Summi Numinis non aliunde exstitisse, nisi ex terrore et admiratione rerum occultarum et ignoratione causarum; ut ipsius Democriti verbis ostendit Sextus Empiricus. Hinc passim alii eandem celebrarunt

opinionem. Hinc Lucretius, ipsius Democriti vestigiis insistens, canit : Simulachra Deorum, per aërem volitantia, homines in eum induxisse errorem, ut putarent, Deorum vi mundum gubernari :

Nunc quae caussa Deûm per magnas numina gentes
Pervolgarit, et ararum compleverit urbes,
Unde etiam nunc est mortalibus insitus horror.
Qui delubra Deûm nova toto suscitat orbi
Terrarum, et festis cogit celebrare diebus :
Non ita difficile est rationem reddere verbis.
Quippe etenim jam tum Divûm mortalia secla
Egregias animo facies vigilante videbant,
Et magis in somnis mirando corporis auctu.
His igitur sensum tribuebant, propterea quod
Membra movere videbantur, vocesque superbas
Mittere pro facie praeclara, et viribus amplis :
Aeternamque dabant vitam, quia semper eorum
Suppeditabatur facies, et forma manebat.
Praeterea coeli rationes ordine certo,
Et varia annorum cernebant tempora verti :
Nec poterant quibus id fieret cognoscere caussis :
Ergo perfugium sibi habebant, omnia Divis
Tradere, et illorum nutu facere omnia flecti.
In coeloque Deûm sedes et templa locarunt;
Per coelum volvi quia sol et luna videntur :
Luna, dies, et nox, et noctis signa severa,
Noctivagaeque faces coeli, flammaeque volantes,
Nubila, ros, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
Et rapidi fremitus, et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum! talia Divis
Quum tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas :
Quantos tum gemitus ipsi sibi quantaque nobis
Vulnera, quas lacrymas peperere minoribus nostris!

Huic igitur impietatis temeritati error Democriti inprimis januam aperuit; multi enim post eum fuerunt, qui has ratiunculas vel repeterent,

vel amplificarent, vel exornarent. Quod eo magis dolendum est, quod ipse minime voluntate, sed auctoritate nocuit, et ceterum eo fuit ingenio atque animo, ut a naturâ ipsâ ad virtutem et doctrinam conformatus esse videretur. Nam cum pater ejus, princeps Abderitarum, amplas et fere regias ei reliquisset opes, quibus vel in otio laute jucundeque vivere, vel in negotio principatum civitatis obtinere posset, maluit eas opes in sapientiae studio, et procul a civium ambitione, longinquis peregrinationibus consumere. Igitur primum Athenas se contulit, sedem doctrinarum, quae tunc temporis maxime affluebat copiâ hominum, quos vel voluptas, vel lucrum, vel rerum novitas, vel scientiae amor, alliceret. Ibi Democritus juvenis tam ingenio et doctrinâ, quam genere et divitiis excellens, quum facile omnium oculos in se convertere posset, in obscuro studiis vacavit suis. Hinc Aegyptum, Phoeniciam, Aethiopiam, Persiam, Indiam denique paragravit, et cum earum gentium sapientibus fuit. Redux in patriam, consumto patrimonio, tamen, quoad ejus fieri potuit, operam dedit, ut cives suos meliores redderet cum disciplinâ, tum exemplo et factis: in quibus unum fertur, quod inprimis apud imperitam plebem ad opinionem impietatis valuit. Solebat Democritus frequenter se includere monumentis mortuorum, quae extra portam erant; et ut eo tranquillius meditationi vacaret, et ut civium superstitionem exemplo ipse suo confutaret. Ibi quum noctu ad lucernam commentaretur, huc juvenes petulantes, ut eum ludificarentur ac terrerent, derepente in-

siluerunt, mortuorum instar, nigris vestibus induti, et circumdati capita larvis in speciem craniorum effictis; et continuo circum eum crebris saltibus tripudiarunt. At Democritus ne respexit quidem ad eos, sed inter scribendum, hoc unum dixit, *Desinite tandem ludere, ô pueri!* Sed hoc quum percrebuisset, impietatis opinionem ei conciliavit apud imperitos Abderitas, qui putabant fieri non posse, quin is, qui spectra negaret, religionem etiam Deorum immortalium tolleret. At vero ipse Democritus optimâ erat, et leni et beneficâ in alios homines indole: neque Divinum Numen ex naturâ sustulit, quamquam ei non tantam vim, quantam Pythagoras, Thales aliique, tribuit: sed tamen Deum dixit esse, *mentem quandam igneam, quae totum animaret mundum;* ut ex Plutarcho et Cyrillo Alex. constat.

Nos quidem, A. H., in *Democrito* hanc lectionem finiamus. Proximâ lectione sequentium deinceps philosophorum, usque ad Platonem, sententias exponemus.

LECTIO TERTIA.

Democrito, in quo proximam lectionem finivimus, subjungamus *Heraclitum*, haud ita multis annis illo seniorem. Hos et antiquitas et recentior aetas consuevit veluti par componere, ut vix pueros fugiat Heraclitum semper plorasse, Democritum contra risisse. Et vero Heraclitus Ephesi ortus nobili genere, juvenis abiit in Italiam, ut Xenophanem et Hippasum Pythagoreum audiret. Redux in patriam, quum summi ei honores deferrentur, eos repudiavit; et propter quasdam civiles offensiones tam atrox civium et omnino hominum concepit odium, ut se ab humanâ societate segregaret, inque montibus ac sylvis degeret. Itaque naturalis animi austeritas augebatur solitudine: et oratio ejus paulatim eam obscuritatem contraxit, ut nec ipse loquens, nec scriptus

ab eo liber, intelligi posset. Nam quum in solitariâ vitâ radicibus et herbis se aluisset, atque ex eo victu hydropis morbum contraxisset, in urbem rediens, ut medicorum operâ uteretur, tam obscure locutus est, ut medici, non intelligentes quid sibi vellet, eum remitterent: quaerebat enim ex iis, *an ex imbre siccitatem facere possent*: quibus verbis significabat, corpus suum vitioso humore laborare. Librum, quem *De Natura Rerum* conscripsit, quique dudum periit, involutis continebatur sententiis, quae veluti oracula interprete opus haberent. Quamquam ejus haud pauca restant fragmenta, ex quibus de ejus philosophiâ judicari possit. Nos, omissâ reliquâ parte, dicamus de eâ, quae cum nostro consilio magis est conjuncta. Igitur Heraclitus minime in iis ponendus est, qui Animorum immortalitatem repudiarent: sive spectemus ejus magistros Xenophanem et Hippasum, de quorum placitis exposuimus superiore lectione: sive ipsa ejus dicta expendamus, quae ex libro retulerunt scriptores superstites. Nam, ut est apud Sextum Empiricum, duos voluit esse sensus in homine, quibus verum cognosceretur; alterum *communem* eumque certissimum, quem quilibet respiratione aëris traheret: alterum *peculiarem*, eumque fallacem, quum quisque sibi illam particulam communis sensûs ad suas opiniones effingeret. Non est hujus loci, sententiae hujus obscuritatem illustrare. Hoc unum velim animadvertatis; ex Heracliti mente *immortales esse animos*; quippe soluti corporibus abeunt rursus in communem aërem, qui animatus, perennis, et

ipse Deus sit. Et ne plura dicamus : duo excitabimus ejus dicta, quae omne dubium tollant. Alterum est : *hanc vitam esse mortem, Mortem vero esse vitam :* quod eo valet, animum in corpore, veluti sepulchro, esse inclusum, et verâ vitâ tunc demum frui, quum liberatus corporeis vinculis in communem illum sensum abierit. Alterum est in fragmento, quod apud Stobaeum perperam Themistio tribuitur, nos vero Plutarcho vindicavimus: ibi Heraclitus diserte pronunciat, *mortis metum inditum esse hominum animis, ut sponte in vitâ manerent ; eumque metum proficisci ex ignoratione futurae sortis ; quodsi enim certo scirent homines, quanta ipsis felicitas post mortem parata sit, vix quemquam fore, qui aequo animo in vitâ maneret.*

Et quandoquidem Heraclitum commemoravimus, ne praetermittamus ejus in philosophiâ discipulum, eundemque medicorum principem, *Hippocratem* Coum. Qui quidem de animorum immortalitate non prodidit, et in eam partem statuit, in quam fere plerique Medici procliviores fuerunt, ut animum corporeae concretionis esse diceret. Quamquam idem animum diversam a corpore naturam substantiamque esse voluit; neque eum oriri aut interire, sed, ut reliquas res omnes, augeri et minui vicissim. Sed praestat ipsius viri orationem referre : « *Omnia*, inquit, *constant igne et aquâ : et ignis quidem habet calorem et siccitatem, aqua vero frigus et humiditatem : haec quum vario motu semper agitentur, necesse est, varias formas vi-*

resque animalium nasci. Neque eorum quidquam oritur e nihilo, aut abit in nihilum; sed dissolvitur et componitur. Homines vero temere loquuntur, cum nasci dicunt illud, quod eousque auctum est, ut sub sensuum perceptionem cadat; et interire illud, quod eousque est minutum, ut a sensuum perceptione fugiat. Sed hi quidem oculis potius, quam rationi, fidem habent. Ego vero haec ratione edissero: Nil moritur, neque mori potest, quod vivit; nisi si omnia simul in nihilum abeant: neque enim nasci quid possit, nisi aliud sit, ex quo nascitur. Ceterum augetur majus a minore, cum alia omnia, tum animus, et corpus, qui ab animo gubernatur. Nam similia similibus se adjungunt; et animus in corpus incidit, et illud occupat, seque cum eo adjungit cognatione partium. Est quippe ipse animus compositus ex igne et aquâ, sicuti corpus. »

Ex his igitur verbis in neutram partem de Hippocratis opinione concludi potest. Neque enim impedit animum esse immortalem, etiamsi sit ex igne et aquâ compositus. Et licet non in nihilum relabatur, tamen secundum eamdem sententiam, eousque minui et debilitari possit, ut ejus conditio ab omni fere actione vacet, neque magnopere a morte differat.

Sed nos revertamur ad Ionicam scholam. Nam cum de duobus duarum sectarum auctoribus dixissemus, Thalete et Pythagora, hactenus versati sumus in Pythagoreis, et, qui ab iis prognati sunt, Eleaticis. Eorum unus deinceps alterius discipulus usque ad Socratem sex fuerunt: *Thales, Anaxi-*

mander, *Anaximenes*, *Anaxagoras*, *Archelaus*, *Diogenes Apolloniates*, *Socrates*. Et de Anaximandro quidem et Anaximene non proditum reperimus, quomodo de animi immortalitate senserint. De Naturâ quidem divinâ dissenserunt a magistro Thalete : hic Deum volebat esse mentem, quae cunctas res ex aquâ fingeret : illi aërem quendam infinitum Dei loco habebant. Sed, qui secutus est eos, Anaxagoras multo clarius hanc philosophiae partem illustravit. Et primum quidem non, ut reliqui ante eum, animam per totum mundum diffusam, Deum esse dixit : sed animum purum, a materiâ segregatum, summe intelligentem, potentem, hujus universi opificem et gubernatorem. Et haec ejus sententia tam est celebrata, ut neminem fugiat, qui vel primum librum Ciceronis de *Naturâ Deorum* legerit. At vero, ut de animis hominum senserit, non ita in vulgus notum est. Scriptor libri de Placitis Phil., qui perperam Plutarchus habetur, refert, Anaxagoram, quique eum sequerentur, statuisse, *animum esse aëreae naturae, atque adeo corporeum*. At vero plus apud me valet Aristotelis auctoritas, qui antiquorum opiniones recensens, non uno loco eam facit Anaxagorae mentionem, ex quâ de ejus opinione haud temere statui possit. Igitur excitemus Aristotelis verba : « *Anaxagoras et alii, qui statuunt hoc universum a mente moveri, dicunt*, animam esse illud quod moveat. *Saepius quoque Anaxagoras ita loquitur, ut* νοῦν *et* ψυχὴν *pro unâ eâdemque re habuisse videatur, easque omnibus animalibus inditas esse. Sed tamen eas diserte a-*

se invicem distinguit; ut, quamquam sint ejusdem naturae, nimirum moventis, *tamen* νοῦς *causam et principatum teneat, sitque solus ex omnibus rebus simplex et purus.* » Quod si quis ad haec adjiciat ea, quae hanc in rem prodidit Valckenarius V. Cel., is profecto minime dubitet Anaxagoram in eorum referre numerum, qui animis immortalitatem asseruerunt. Et vero ipsa per se Anaxagorae auctoritas multum valuit ad eam sententiam commendandam ac propagandam. Nam cum apud omnes magnam haberet virtutis et sapientiae laudem, tum eam auxerunt ex discipulis ejus tres, iique primarii viri, *Pericles*, *Euripides* et *Socrates*. Quamquam ipse vivus Anaxagoras laudis hujus fructum non percepit : quippe quod patriam Graecorum religionem contemnere videretur, ab inimicis Periclis in capitis judicium vocatus, relictis Athenis Lampsacum concessit, ibique diem obiit supremum. Qui vero Athenis ejus disciplinam susceperunt ac propagarunt, de animo quid senserint, non liquido constat. Nam de *Archelao*, quem Socrates audivit, hanc in rem nil proditum reperimus : de *Diogene* vero *Apolloniate* hoc unum invenimus apud Aristotelem, eum statuisse *animum esse principium aethereum*: principium quidem, quia ipse alias res cognosceret, neque aliunde moveretur : aethereum autem, quod nil esset subtilius aethere. Ceterum, quod miremini, quum audiveritis animum ab aliis igneae naturae, ab aliis aqueae, ab aliis aëriae vel aëthereae, ab aliis sanguineae habitum fuisse, credatis profecto, illos omnes in eo tamen consensisse,

animum esse *corporeae naturae.* At contra se res habet : nam ejus substantiam adeo subtilem ac tenuem informabant, ut eam a corporeâ concretione segregarent. Ut Aristoteles recte dixerit, *Omnes, qui de animo prodidissent philosophi, eum tribus quasi proprietatibus definivisse*, motu, sensu *et* absentiâ *corporis*.

Et jam temporum ordo nos ad *Socratem* deduxit, qui, ut diximus, et Anaxagoram et Archelaum audiverat : sed antequam de illo viro exponamus, commemorandae sunt sententiae clarissimorum poëtarum, qui, quamquam philosophiam non in scholis docuerunt, tamen ex ejus disciplinâ prodierunt, et carminibus eam celebrarunt : hi sunt *Epicharmus*, *Pindarus*, *Aeschylus*, *Sophocles*, *Euripides*.

Et *Epicharmus* quidem Cous fuit patriâ, sed, quod infans in Siciliam delatus esset, ibique sapientiae laude floreret, *Siculus* cognominatus est. Primum Pythagorae scholam frequentavit : deinde, quod nefas esset scholae illius placita scripto vulgare, invenit novum poëseos genus, quod *Comoediae* nomine celebratum est ; ejusque opportunitate usus, philosophiam publice in theatro exhibuit ; unde factum est, ut gratiam sibi conciliaret Hieronis, tyranni Syracusarum, hominis docti, ejusdemque fautoris doctorum hominum. Igitur Epicharmus statuebat, *nil veritatis esse in corporis sensibus, animum solum judicem esse rerum, et corporis sensibus tamquam fenestris uti.* Hinc est illud ejus dictum celebratum ab antiquis, *Animus videt, animus audit, reliqua omnia coeca sunt et surda.*

Quod quidem suo more ridet Lucretius :

Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,
Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
Desipere est.

Porro *de Morte* dictum Epicharmi hoc memorat Plutarchus : *Concretum et discretum est, abiit utrumque unde venerat, corpus ad terram, animus ad aetherem.* Videtis igitur hoc ex ipsâ Pythagorae doctrinâ depromtum esse. Audiamus vero etiam Ciceronem, qui etsi non Epicharmum nominat, tamen eum manifesto significat, ejusque sententiam interpretatur. *Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus : neque enim est ullus sensus in corpore : sed ut non physici solum docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt, viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares, a sede animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris oculis et auribus nec videmus nec audimus : ut facile intelligi possit, animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sunt animi : quibus tamen sentire nil queat mens, nisi id agat et adsit. Quid, quod eâdem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quae nunquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, et is omnium judex solus esset. Atque ea profecto tum multo puriora et dilucidiora cernentur, cum, quo natura fert, liber animus pervenerit. Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabri-*

cata est, tamen terrenis concretisque corporibus intersepta sunt quodammodo : cum autem nihil erit praeter animum; nulla res objecta impediet, quominus percipiat, quale quidque sit. Haec Cicero ex mente Epicharmi. Sed eodem tempore, quo Epicharmus in Siciliâ comoediam ad philosophiae disciplinam convertit, Athenis Tragoediam aut invenit, aut inventam ad certam artis rationem adstrinxit *Aeschylus* : qui, cum esset Pythagoreus, ejus philosophiae placita prodidit quidem per fabulas, neque tamen aeque aperte diserteque atque Epicharmus. Cujus rei fortasse haec fuit causa; quod Epicharmus apud Hieronem, quamquam tyrannum, libere tamen de rebus divinis loqui posset : Aeschylus vero, quamquam in liberâ republicâ, tamen sacerdotes et areopagi judicium timere deberet. Et vero Aeschylus, postquam per longum tempus magnâ auctoritate tragicam scenam Athenis obtinuisset, tandem in hanc ipsam invidiam incidit, a quâ sibi tantopere caverat. Nam propter evulgata Cereris mysteria capitis accusatus, fugâ sibi consuluit, et Syracusis apud Hieronem, a quo benevole exceptus erat, consenuit.

Sed qui post Aeschylum Tragoediae principatum Athenis obtinuerunt, *Sophocles et Euripides*, liberius jam philosophiae placita prodere coeperunt. Rempublicam tunc administrabat Pericles, excellens et literis et belli pacisque artibus vir, quique doctos homines honore ac praemiis Athenas invitaret, eosdemque contra malevolorum invidiam tueretur. Anaxagoram quidem magistrum, qui publicam philosophiae scholam Athenis ape-

ruerat, ob atrociam invidiae salvum in urbe tueri non poterat. Verum enim ut periculosum erat ipsis iis, qui se philosophos profiterentur, placita proferre talia, quae repugnarent religioni patriae: ita idem non aeque periculosum erat iis, qui poëseos involucro se involverent, et eadem placita in theatro sub aliorum personâ pronunciarent. Et Sophocles quidem bello Samio, dux creatus, collega Pericli additus fuerat, et ceterum summos in republicâ gesserat honores; ut eo minus calumniatorum insidias timeret. Quare minime iis assentior, qui dicta quaedam Sophoclis pro spuriis habent, propterea quod non credibile sit eum ausum esse talia proloqui, quae manifesto ad evertendam popularem religionem valerent. Minime, inquam, iis assentior. Aliter enim accipitur poetae, aliter philosophi dictum; aliter quod ex propriâ, aliter quod ex alienâ pronunciatur personâ: aliter sententia viri in civitate principis, aliter hominis, qui in scholâ docet, neque aliquam in republicâ habet auctoritatem. Attendite quaeso ad hunc locum, quem passim laudant patres Ecclesiastici; et egregie, ut omnia, vertit vir summus Hugo Grotius:

Unus profecto est, unus est tantum Deus,
Coeli solique machinam qui condidit,
Vadumque ponti caeruleum et vim spiritûs
At ducta coeco errore gens mortalium,
Commenta cladis in suae solatium est
Simulachra divûm facta saxo aut arbore,
Vel pondere auri, dente vel Lucae bovis.
His victimarum sanguinem, his festos dies
Cum dedicamus, ea religio creditur.

Fuerunt qui contenderent, hanc sententiam non, nisi ab homine vel Judaeo, vel Christiano profi-cisci potuisse. Atqui nil habet illa sententia, quin Anaxagorae disciplinâ pertractatum fuerit. Ecce! alium Sophoclis locum, quem veteris philosophiae ignari continuo clamant ex Christianâ doctrinâ repetitum esse. Qui Heracliteam rationem intelligunt, inde eum fluxisse haud dubitant. Est vero ejus argumentum de Mundi conflagratione et instauratione :

Veniet ille, veniet haud dubie dies,
Laxabit ignis, cum redundantes opes
Auratus aether : lege tum spretâ furens
Terras et illis quidquid est sublimius
Depascet ardor : inde cum defecerit
Hoc omne, nullas jam ferent undas vada,
Neque ulla ramos eriget tellus, neque
Exustus aër pascet aligerum genus.
Mox reddet idem cuncta qui exitio dedit.

Porro animorum immortalitatem ad patriam accommodavit religionem, Aeschyli fortasse casu monitus: dixit, solis iis bene apud inferos esse, qui mysteriis Eleusiniis rite initiati essent :

Felices nimis,
Initia quotquot ista cum conspexerint,
Eunt ad orcum ; namque eos solos manet
Ibi vita ; reliquos, miserias praeter, nihil.

Veniamus ad *Euripidem*. Hic Anaxagorae disciplinâ exercitatus constituerat philosophiam Athenis profiteri atque in scholis explicare. Sed magistri casu deterritus ad tragoediam se contulit, ejusque Musae suavitate philosophiae praecepta civibus commendavit. Et vero infinitum sit, ejus

sententias referre, quae ad contemtum patriae superstitionis et studium sanioris religionis valerent. Satis habeamus, paucas memorasse. Et primum quidem animadvertite, quam sublimiter et magnifice loquatur de summo Deo :

Te voco, te, non aliunde satum;
Qui naturam turbine versas
Totam aetherio, quem lux circum
Noxque atricolor, semper et ingens
Circumsultat chorus astrorum.

Tum vero etiam cognoscite dicta de animorum immortalitate. Nam animos statuebat ex aethere profectos corporibus includi, ex iisque post mortem ad communem aetherem redire. Fabula est superstes, quae *Supplices* inscribitur, in quâ ejusmodi consolatio adhibetur mortuorum amicis :

Jam sinite terrae mortuos gremio tegi :
Res unde quaeque sumserat primordium,
Eo recipitur : spiritus coelo redit,
Corpusque terrae : jure nec enim mancupî,
Sed brevis ad aevi tempus utendum datur :
Mox, Terra repetit ipsa quod nutriverat.

Porro in *Helena*, item superstite fabulâ, ex animorum immortalitate colligit, post hanc vitam sua benefactis praemia et malefactis supplicia constituta esse :

Magno luuntur scelera, et hic viventibus,
Et mox sepultis : anima post fati diem
Jam non ut ante vivit, at sensus tamen
Servat perennes, hospes aeterni aetheris.

Et de his quidem satis dictum. Videamus de *Pindaro* : qui est unus ex Lyricis Graecis, cujus carmina integra pervenerint ad nostram aetatem.

Neque vero est, quod hoc loco *poëticam* ejus laudem celebremus; de *philosophiâ*, quam secutus est, prodamus. Nam ex Pythagoreorum disciplinâ prodiit, quod cum aliorum testimoniis constat, tum ex ipsius carminibus manifesto indicio colligitur. Eae quippe sunt in iis, cum de aliis rebus divinis humanisque, tum de animorum immortalitate sententiae; quae non nisi ex Pythagoreo fonte manare potuerint. Nemo facile tam est a literis et humanitate remotus, quin illam nobilem Horatii oden de excellentiâ carminis Pindarici legerit : illud non aeque animadvertitur, Horatium diligenter quatuor diversa, eaque praecipua Pindari opera significare. Horum unum idque deperditum, continebatur θρήναις seu carminibus funebribus, quibus poëta cognatos defunctorum consolatus est : et de illo valet Horatianâ strophe :

Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet orco.

Hoc igitur in opere, ut ex Platone et Plutarcho constat, plurima de animorum immortalitate prodidit Pindarus. Audiamus Platonem in dialogo, qui *Meno* inscribitur. « *Pronunciant*, inquit, *poëtae, qui quidem divini sunt, et in iis quoque Pindarus, animos hominum esse immortales, et modò abire ex hac terrâ, quod vulgo* mori *vocamus, modo iterum redire in terram, quod* nasci *appellamus, numquam vero interire : et propterea sancte justeque vitam esse degendam. Nam a quibus Proserpina poenas exegerit antiqui peccati; post no-*

vem annos eorum animos denuo in vitae restituit lucem. Inde nascuntur reges praeclari, fortes viri atque sapientes : quosque mortalis turba veneratur, genii ac magnanimi heroes. » Quod Pindarus purgationem animorum novem annis absolvi canit, non habet auctoritatem decreti philosophici numerus ; et variant in eo, pro suo quisque ingenio, poëtae et philosophi. Porro animos divinae esse originis, et iterum ad Deos abire, canit idem Pindarus alio Threno, cujus partem servavit Plutarchus. Sed quandoquidem Virgilius ea, quae in hanc rem a Pindaro variis locis prodita, et ex interiore Pythagorae doctrinâ exprompta sunt : haec igitur quum Virgilius ex ipso Pindaro collegerit, et celeberrimo loco, sexto nimirum Aeneidis libro, exposuerit ; quid impedit, quominus Latinum vatem, tamquam Graeci interpretem, audiamus :

Principio coelum ac terras camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit ; totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.

Videtis hoc primum totum esse Pythagoricum: numen quoddam divinum et quasi aetherem per totam rerum naturam esse diffusum, ex eoque nasci omnia viva animaliaque ; ut adeo hominum et brutorum animi origine ac naturâ nil quidquam differant ; sunt enim omnes corporibus tamquam carceribus inclusi, alii aliis, prouti quisque meruit :

Igneus est ollis vigor et coelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.

Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque, neque auras
Dispiciunt clausae tenebris et carcere coeco.

In corpore quippe tamquam carcere inclusus est animus : hinc hebetatur et constringitur ejus cogitandi vis, neque veritatem ipsam assequitur; non magis atque in carcerem non incidunt solis radii, aut lux aperti coeli; sed obscura tantum et levis ejus imago.

Quin et supremo quum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes : penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

Animus enim, quoad in corpore est, non tantum veram rerum scientiam nullam consequitur, sed morbis etiam afficitur et labibus malefactorum; quae perturbationibus et commotionibus mentis existunt, sive terrorum consternatione percellatur, sive voluptatibus liquefiat, et effrenatis earum cupiditatibus incendatur. Hae igitur labes penitus defixae in animum, ut ex eo eluantur, poenis exercentur, et supplicia luunt veterum malorum : Pindarus aït : *Proserpina poenas ab iis exigit antiqui peccati.*

Aliae panduntur inanes
Suspensae ad ventos : aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos, patimur, Manes ; exinde per amplum
Mittimur Elysium. Et pauci laeta arva tenemus,
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium sensum, atque aurae simplicis ignem.

Agnoscitis denuo Pythagorea placita. Corporeae

labes, quae animo insederunt, longo annorum circuitu vix eluuntur. Tandem purus fit animus et ignis simplex, qualis erat, quum primum a divinâ origine manavit : neque enim, nisi plane purus et ab omni labe solutus, ad purum illum et limpidum animorum fontem, Deum, redire seque cum eo conjungere possit. Sed et hi rursus, ut aït Pindarus, in corpora hominum redeunt, nascunturque Heroica et divina ingenia. Quod brevius exposuit Virgilius :

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium Deus evocat agmine magno :
Scilicet immemores, supera ut convexa revisant,
Rursus et incipiant in corpora velle reverti.

Est alius Pindari locus in secundâ ode Olympicâ, ubi piorum impiorumque post hanc vitam conditionem describit; ibidem de animorum migratione prodit, atque pronunciat, beatam illam in Elysiis campis felicitatem non nisi eos consequi, qui tribus deinceps vitae curriculis pios se castosque servassent. Hunc vobis locum, si vultis, referam ex metricâ versione Sudorii : quo viro licet nemo fuit in vertendo Graeco carmine Lyrico felicior, tamen ita ejus Latinum carmen audiatis, ut simul cogitetis in ipsâ Pindari oratione multo esse omnia ornatiora et sublimiora :

Scimus et quando scelus intuente
Sole patratum est, Stygio parari
Vindices poenas Erebo, nigramque
Judicis urnam.

At pii cura procul et labore,
Aëris semper nitida fruuntur
Luce, nec terram feriunt aratris,
Nec mare rostris.

Pene coelestes, gemitusque et omnis
Nescii luctus; rota dum citato
Orbe perjuros agit, et nocentum
Membra laborant.

Tertia quodsi vice jam renati
Quipiam insontes placidique semper
Vixerint, illis aperit beatas
Jupiter horas.

In quibus lenes Zephyri virentem
Insulam perflant, variosque flores
Procreat tellus, alit arbor, udus
Irrigat amnis.

Hinc pii sumunt capiti coronas,
Brachiis texunt manibusque serta;
Postquam odorata Rhadamantus illos
Valle recepit.

Intelligitis, A. H., Pindarum ita in hoc argumento versatum esse, non ut illud subtiliter explicaret rationibus, sed ut ad hominum captum accommodaret, et poëticâ facultate exornaret; ut adeo magis auctoritate, quam demonstratione, sententiam immortalitatis stabiliverit. Et quod monuimus, Virgilium plurima ex Pindaro in sextum Aeneidis librum transtulisse, unum adhuc exhibebimus exemplum, eoque Pindari commemoratione defungamur. Hujus igitur locus de beatorum apud inferos felicitate exstat apud Plutarchum: quem locum ita vertit Xylander:

Fulget illis jubar Titanis,
Cum terras nox obumbrat,
Prataque puniceis ornata rosis
Eorum sunt suburbium,
Thuriferis arboribus,
Et aureos ferentibus fructus opacum.

Exercent alii sese equitatu,
Alii fidibus oblectant.
Floret apud illos laeta rerum
Omnigenûm copia :
Regioque amoena semper
Fragrat variis in ignem
Odoribus conjectis lucidum
Divûm super aras.

Ita Pindarus; cujus imagines ac sententias animadvertite, quaeso, quantopere auxerit et amplificaverit Virgilius :

Devenere locos laetos, et amoena vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaestris,
Contendunt ludo et fulvâ luctantur arenâ :
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.
Nec non Threïcius longâ eum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum :
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.
Hic manus, ob patriam pugnando vulnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecere merendo :
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vittâ.

Satis est quod diximus de poëtis, popularis quidem illis magistris sapientiae, sed iisdem tamen maximae ad communem vitam auctoritatis. Veniamus ad eum virum, qui philosophiam ad melioremململ saνioremque rationem redegit; qui eam cum sermonibus ipse suis, tum discipulorum studiis, per universam Graeciam proseminavit, ut jure ab omni aevo unus parens philosophiae dictus sit.

Socratem dico *Atheniensem*. Et ejus quidem vita, mores, instituta, disciplina, adeo sunt in vulgus celebrata, ut si verbum de iis addam, vestris, A. H., ingeniis injuriam facere videar. Quare de hac unâ parte videamus, quae ad animorum immortalitatem pertinet. — Quum philosophi, quos hucusque commemoravimus, plerique omnes studia sua vel maxime vel unice posuissent in physicâ parte et rerum abditarum indagatione; ut de universi naturâ quaererent, quâ vi quibusque elementis constaret; quibus causis corporearum rerum motus mutationesque perficerentur; Socrates philosophiam revocavit ad moralem partem, a contemplatione ad actionem, a rerum occultarum vanarumque indagatione ad cognitionem rerum humanarum et necessariarum, et, ut verbo dicam, a scientiâ ad virtutem. Neque etiam ad discipulos tamquam ex tripode pronunciabat, sed communiter cum iis quaerebat de omni virtute officioque, quod valeret ad rem vel publicam, vel domesticam, vel civilem, vel bellicam, et omnem omnino vitae humanae partem bene prudenterque administrandam. Sed ex magno discipulorum numero, qui magistri dicta factaque scripto consignarunt, duo soli ad hanc aetatem servati sunt, *Plato* et *Xenophon*. Nam qui feruntur *Aeschinis* dialogi et *Cebetis* tabula, quin falso nominibus illorum hominum inscripta sint, dubitari non potest. Et Plato quidem frequenter Socratem de iis rebus disputantem facit, quas ipse Socrates non tractasset: veluti in Timaeo de Mundi ortu, in Parmenide de Ideis; et omnino solet fere Plato sub Socratis personâ suam

ipse sententiam proferre. Contra Xenophon ita inducit Socratem, ut non nisi de iis rebus disserat, quas tamquam philosophiae argumentum a Socrate probatas fuisse modo diximus. Jam vero apud Xenophontem rarius et obscurius de animorum immortalitate loquitur Socrates; apud Platonem contra frequenter, diserte, copiose, accurate. Et in judicio de factis placitisque Socratis magnâ cautione opus est, ne ita temere omnia Socrati tribuamus, quae ei in Platonis tribuuntur Dialogis. Igitur sint fortasse, qui contendant, Socratem partem philosophiae, quae est de animorum immortalitate, intactam reliquisse, et quidquid ei de illâ parte tribuatur disputationis, hoc omne Platonis ingenio deberi. His igitur quominus assentiamur, multae sunt gravissimaeque causae. Primum non est credibile, philosophum, qui totam philosophiae disciplinam ad morum et virtutis studium revocaverit, hoc ejus quasi fundamentum, quod positum est in animorum immortalitate neglexisse. Nam disciplina morum, quaeso, qualis tandem illa esse potest, quae non curet, utrum animus cum corpore intereat, nèc ne? Deinde sunt apud Xenophontem ejusmodi sententiae, quae manifesto ad animorum immortalitatem videantur valere : veluti de Providentiâ divinâ : de Animi humani excellentiâ et similitudine cum Divinâ naturâ : de curâ Numinis quasi tutelam gerentis piorum hominum injuste morientium : quae profecto ejusmodi sunt sententiae, ut plane abhorreant ab ejus personâ, qui nil post hanc vitam superesse statuat. Porro ex aliorum Socraticorum fragmentis

colligitur, et consensu totius antiquitatis constat, animorum immortalitatem tantam habuisse in Socratis disputationibus auctoritatem, ut fere proficisceretur ab eâ, et rediret ad eam omnis argumenti ratio et conclusio. Denique Xenophontis silentium exstiterit fortasse ex ejus cum Platone simultate: quod ut animadvertendum est praecipue ab iis, qui Socraticas res tractant; ita hoc loco unum observasse nobis satis est: Xenophontem de industriâ Socratem inducere raro et leviter animorum immortalitatem tangentem; quod Plato illâ Socratis disputatione, quae Phaedone continetur, ita de hoc argumento disseruisset, ut jam tum omnium consensu, ut in proverbio est, *monumentum aere perennius exegisse* judicaretur. Sed ut in Phaedone rationes sententiaeque multae sunt, quae Socrati vel displicuerunt, vel in mentem non venerunt, certe ab ejus philosophiâ abhorruerunt: ita idem Plato in eo libro, qui Apologia Socratis inscribitur, Socratem ad judices loquentem facit eo modo, qui modus maxime et rei et personae Socratis, et veritati consentaneus sit; ut ipse Cicero non dubitaverit Platonis auctoritatem sequi, ejusque locum laudare: quem quidem locum ex Platonis libro vobis referam: *Magna me spes*, inquit, *judices*, *tenet*, *bene mihi evenire*, *quod mittar ad mortem. Necesse est enim sit alterum de duobus; ut aut sensus omnino omnis mors auferat, aut in alium quemdam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem sive sensus exstinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnumquam etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem*

adfert; Di boni! quid lucri est emori: aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur? cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui e vitâ excesserunt, incolunt: id multo jam beatius est, te, cum ab his, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere judices appellentur, Minoem, Rhadamantum, Aeacum, Triptolemum, convenireque eos, qui juste et cum fide vixerint. Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo, liceat, quanti tandem aestimatis? equidem saepe emori, si fieri posset, vellem; ut ea, quae dico, liceret mihi invenire. Quantâ delectatione autem adficerer, cum Palamedem, cum Ajacem, cum alios, judicio iniquo circumventos convenirem. Tentarem etiam Agamemnonis, Ulissis, Sisyphique prudentiam. Nec ob eam rem, cum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Nam cum aliis partibus pii defuncti beatiores sunt, quam viventes, tum quod interire jam nequeunt, sed immortales sunt. *Ne vos quidem, judices, hi qui me absolvistis, mortem timueritis. Nec enim cuiquam bono mali quidquam evenire potest, nec vivo, nec mortuo: nec umquam ejus res a Diis immortalibus negliguntur: nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec vero ego his, a quibus accusatus, aut a quibus condamnatus sum, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt. — Sed tempus est, jam hinc abire: me, ut moriar: vos, ut vitam*

agatis. Quibus nostrûm melius futurum sit; Dii sciunt immortales : hominem quidem scire arbitror neminem. Haec Socrates. Quibus hoc adjungit Cicero : *Nae ! ego haud paulo hunc animum malim, quam eorum omnem fortunam, qui de hoc judicaverunt. Etsi, quod praeter Deos negat scire quemquam, id scit ipse, utrum sit melius : nam dixit ante : sed suum illud, nil ut affirmet, tenet ad extremum.* Et vero Socrates ad judices populariter locutus est, et habebat immortalitatis rationes, quae ad judicium nil pertinebant : quibus de rationibus aliâ dicemus lectione. Nunc ad nostrum quidem consilium satis nobis est auctoritatis in Cicerone : qui et diserte affirmavit, Socratem certis argumentis de animorum immortalitate sententiam sibi persuasisse, et quo illæ valuerint prudenter explicat. *His et talibus*, inquit, *rationibus adductus Socrates nec patronum quaesivit ad judicium capitis, nec judicibus supplex fuit; adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non a superbiâ : et supremo vitae die de hoc ipso multa disseruit; et paucis ante diebus, cum facile posset educi e custodiâ, noluit; et cum pene in manibus mortiferum illud teneret poculum, ita locutus est, ut non ad mortem trudi, verum in coelum videretur escendere. Ita enim censebat, itaque disseruit : duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se immanibus vitiis contaminavissent, et se totos libidinibus dedissent, quibus caecati vel domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republicâ violandâ fraudes inexpiables concepissent, his de-*

vium quoddam iter esse , seclusum a concilio Deorum. Qui autem se integros castosque servavissent, — essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere.

Vidimus, A. H., de rationibus immortalitatis, quibus ipse usus est Socrates. Proximâ lectione videbimus de rationibus discipuli ejus Platonis, quas quidem ipse refert ex personâ Socratis, cum aliis libris, tum inprimis in Phaedone, quo Socratis e vitâ excessum prodidit.

LECTIO QUARTA.

Accedamus jam ad *Platonis* Phaedonem; qui liber etsi ab omni aevo is habitus est, in quo rationes immortalitatis animorum gravissime luculentissimeque expositae essent, a paucis tamen legitur, a paucioribus etiam intelligitur: cum propter ipsam obscuritatem difficultatemque materiae, tum propter disputationis copiam atque ubertatem. Quare existimavi, me rem vobis minime ingratam facturum, si hujus libri summam, quoad ejus fieri posset, breviter ac perspicue enarrarem. Igitur, quamquam longe difficilius est, ac vulgo putatur, totam disputationem ita in summam et compendium redegi, ut ejus tamen vis et connexio appareret; et brevitatis causa ex eâ parte, quae ad narrationis venustatem et colloquii verisimilitudinem pertinet, nil retinerem, nisi quantum perspicua enarratio argumenti postularet.

Appellatus est hic dialogus *Phaedon*, quod continetur sermone Phaedonis, discipuli Socratis, qui magistri obitum narrat Echecrati, ejusdem disciplinae socio, qui tempore illo, quo Socrates mortuus est, Athenis abfuerat. Colloquuntur cum Socrate, inprimis Cebes et Simmias Thebani, ejus discipuli, et Criton Atheniensis, aequalis Socratis ejusque amicissimus. Sed nos, omisso colloquii exordio et introitu, initium faciamus ab ipsâ Phaedonis narratione, quae quidem ejusmodi est. — Quamdiu in carcere fuit Socrates, nos plerique ejus amici quotidie veniebamus ad eum mane, et diem cum eo transigebamus: ultimo vero die maturius etiam ad eum venimus. Audieramus enim pridie ejus diei, navem Delo advenisse, quâ adveniente Socrati moriendum erat; et alius alii nuntians admonebamus invicem et constituebamus summo mane ad carcerem venire. Igitur postero die sub ipsum diluculum venimus ad tribunal, ubi Socratis judicium actum erat, quod haud procul a carcere distabat. Solebamus enim quoque per antecedentes dies ibi convenire, atque exspectare, donec aperiretur carcer. Quum ad carcerem accessimus, janitor, qui nos intromittere solebat, jussit nos aliquantulum foris manere, Undecim viri enim, inquit, intus sunt, qui Socratem ex vinculis solvunt, eique annunciant, hodie moriundum ei esse: paulo post rediens, intromisit nos. Et deprehendimus Socratem ex vinculis solutum: prope illum sedebat uxor Xanthippa, infantulum ulnis tenens. Quae ut nos conspexit, continuo exclamavit, et, ut solent mulieres, ejulatus edidit,

nunc ultimum te amici alloquentur tui, o Socrates, nunc tu illos ultimum. Socrates placide Critonem intuens, hanc, inquit, aliquis abducat, o Criton. Igitur eam Critonis famuli domum deduxerunt. Ego vero mirifice eo die affectus eram: neque enim commiseratione tangebar morientis amici; quippe, ut antea semper, ita inprimis tunc mihi beatus videbatur, cum propter ingenii morumque mansuetudinem, tum propter animi magnitudinem et constantiam: ut firmiter mihi persuaderem, hunc quidem virum ne ad inferos quidem abire sine divinâ providentiâ, sed ibi quoque felicem beatumque futurum. Verum enim, ut nullâ magnopere tristitiâ eram affectus, ita neque laetitiam percipiebam. Quamquam neque alias, quum de philosophiâ colloqueremur, neque tunc, a Socratis sermone jocus et hilaritas aberant. Sed illo die mixtus quidam tristitiâ gaudioque sensus animos nostros tenebat: modo ridebamus capti tranquillitate hilaritateque Socratis, et praesentis obliti calamitatis: modo plorabamus instantem amici obitum reputantes, et victi gravitate casûs.

Sed posteaquam Xanthippa esset abducta, erigens se in lectulo Socrates, et crus fricans, Quam, inquit, mira est res illa, quam *voluptatem* vocamus, et quam mire adfecta ad ejus contrarium, quod appellamus *dolorem*. Simul et una non conveniunt: at vero si alterum praecesserit, alterum continuo sequitur. Hoc si Aesopus animadvertisset, credo illum fabulam facturum fuisse ejusmodi: Deum aliquem frustra tentasse voluptatem et dolorem

ex discordiâ in concordiam redigere; igitur extremitates connexuisse et a communi vertice suspendisse, ut si quis alterum arripuisset, is alterum quoque necessario traheret. Veluti ego, qui modo ex vinculo crus dolebam, nunc solutus voluptatem percipio. Tum Cebes, Opportune, inquit, in memoriam mihi revocas carmina, quae in carcere fecisti, tum Hymnum in Apollinem, tum fabulas Aesopi, quas in versus redegisti; nam et alii, et proxime Evenus poëta, ex me quaesiverunt, quid esset, quod tu, qui numquam antea carmen fecisses, nunc sub ipsum vitae exitum te ad illud studium contulisses; quare, si vis me habere quod Eveno respondeam, nam eum interrogaturum certo scio, age, exponam causam. Dic igitur, inquit Socrates, Eveno, me non eo consilio versus fecisse, ut ejus laudem poëticam aemularer, sed ut solverem me religione somnii. Nam cum in antecedente vitâ, tum posteaquam in carcerem veni, saepius mihi obtigit ejusmodi somnium, quo his verbis appellarer, *O Socrates, fac et tracta musicam!* ego arbitrabar ita me somnii jussu obtemperaturum, si philosophiam tractarem; quippe quae esset maxima praestantissimaque musica. Nunc, quum per festum Deliacum terminus mortis mihi produceretur, non inveni, quomodo hanc temporis usuram melius collocarem, nisi in componendis carminibus; ut, si forte somnium divinitus fuisset missum, et hanc sententiam habuisset, ne ad inferos abirem, nisi hac religione solutus et libero animo. Feci ergo hymnum in laudem Apollinis, cujus nunc festum agitur: deinde

animadvertens, poëtae officium non in versibus componendis, sed in fabulâ inveniendâ effingendâque positum esse, atque intelligens, me non posse fingere fabulas, sumsi Aesopicas, easque in carmina redegi. Tu igitur, mi Cebes, et hoc dices Eveno, et eum meis verbis humaniter salutabis, atque admonebis, ut me brevi sequatur. Abeo autem hodie; ita enim Atheniensibus visum est. Tum Simmia, Quale tandem illud est quod Evenum postulas? equidem saepius una cum eo fui, neque is mihi visus est Evenus, qui te lubens ad inferos sequeretur. Quid vero, inquit Socrates, nonne philosophus est Evenus? Est vero, inquit Simmias, ut mihi quidem videtur. Igitur, inquit Socrates, neque Evenus mori recusabit, neque alius quisque non indignus philosophi nomine: ipse tamen se non interficiet; hoc enim nefas et est et habetur. Atqui, aït Simmias, quomodo haec sibi consentanea sunt, ut quis mortem appetat quidem, nec tamen liceat ei se ipsum interficere? Equidem, ut nosti, cum Cebete in patriâ nostrâ Thebis usus sum disciplinâ Philolai, nobilis Pythagorei, qui eadem dicere solebat, quae tu modo: sed, quum argumenti rationes quaererem, nullas, certe non perspicuas, reddebat; quare tu, si quas tenes, eas quaeso nobiscum communices. Quid vero, aït Socrates, putasne me doctiorem esse Philolao? ego vero longe ab ejus absum doctrinâ, neque ego certam illius sententiae demonstrationem teneo; sed fando aliorum opiniones audivi, quas non repugno, quin vobis exponam: neque enim, quod mihi superest

breve tempus vitae melius transigere possim, quam in contemplatione mortis, veluti peregrinationis, quae mihi sub occasum solis ingredienda est. Et vero mirum videatur, quid sit quod iis etiam hominibus, quibus praestat mori quam vivere, nefas est se ipsos hoc afficere beneficio, debeantque hi alium exspectare benefactorem. Atqui hujus legis duas reperio esse rationes. Altera est recondita et ex interiore doctrinâ, haec nimirum, homines inclusos esse in corpore tamquam in carcere, ex quo effugere non liceat : quae quidem ratio et difficilior est intellectu, et latius patet, quam quae in praesentiarum disceptari queat. Altera est ratio facilior intellectu et accommodatior ad communem hominum sensum; nempe, esse quoddam divinum numen, quod generis humani curam et quasi tutelam gerat, ejusque numinis homines ministros et servos esse. Quare, ut nos moleste feramus et puniamus, quoad ejus fieri potest, servum, qui se ipse interficere velit : ita credibile est, Deum dominum nostrum nolle, ut nos, qui ei servimus, injussu ejus ex hac vitâ et ministerio discedamus. Atque, ut non ipsi nostro judicio voluntateque nascimur, ita neque abeundum est nobis ex vitâ nostro judicio voluntateque, sed exspectandum, donec ipse nos liberet Deus, et abeundi necessitatem nobis immittat, veluti eam, quam nunc mihi immisit.

Tum Cebes, Haec si vera sunt, inquit, o Socrates, sequitur, stultos aequo animo mori, sapientes iniquo. Quidni enim stultum sit ex eo discedere loco, ubi optimum dominum habeas Deum,

qui tui curam gerat; quasi vero inde in meliorem statum effugere possis, et meliorem nancisci dominum.

Socrates delectari videbatur Cebetis studio et disputatione, et, Numquam vero, inquit, credulus est noster Cebes, nec persuaderi sibi facile quid patitur sine argumentis et rationibus.

Cebeti socium se adjunxit Simmias. Et vero, inquit, recte monuit Cebes, ejusque reprehensio tacite videtur ad te valere, o Socrates, qui, et nos amicos tuos, et dominos Deos, aequo animo relinquis.

Ad haec Socrates, Age igitur, o amici, quandoquidem mihi litem intenditis, causam apud vos dicam, et operam dabo, ut eam vobis magis probem quam judicibus, qui me capite condemnarunt: Itaque adsentior vobis, me juste a vobis reprehendi posse, quod mortem aequo animo subeam, nisi hoc firmiter tenerem, me post mortem feliciorem fore. Nunc vero arbitror, me ad meliores venturum homines: quamquam ne hoc quidem nimis affirmo. Illud autem ad optimos me dominos Deos venturum, hoc vero, si quid aliud, summâ asseveratione contendo atque teneo. Nam Deorum quidem imperium non superos tantos, sed inferos etiam complectitur: ubique sunt Dii, et ubicumque sumus, eorum sumus ministri ac servi: eorumque adspectu et consuetudine multo propius manifestiusque fruemur, posteaquam, relicto corpore, animus noster purus, sincerusque ad eos abierit. Quam sortem meam minime conqueror: quin certa me tenet spes, aliam post hanc paratam

esse vitam, qua bonis hominibus melius multo futurum sit, ac malis.

Vixdum haec dixerat Socrates, quum ad eum infit denuo Cebes : Tune igitur, inquit, hanc sententiam tam gravem tamque salutarem solus tecum ad inferos auferes, an potius, antequam abis, eam nobiscum communicabis ?

Faciam, aït Socrates, quod petitis, sed prius videamus, quid Criton velit ; videtur enim dudum aliquid dicere velle, neque tamen audere.

Nimirum, inquit Criton, dudum molestus mihi est carceris custos, rogans, ut te moneam, ne nimium te loquendo fatiges; quod ita nulla est efficacia veneni, visceribus agitatis et calefactis : et saepius accidit, ut ejusmodi hominibus duo vel plura miscenda sint pocula.

Tu vero, respondit Socrates, jube hominem bono animo esse, et cicutae quantum satis est parare vel ad tertium vel ad plura etiam pocula. Cui Criton : Equidem praevideram, o Socrates, te ita responsurum : neque tamen facere poteram, quin precibus custodis obtemperarem.

Tum Socrates, Age vero, inquit, jam apud vos causam perorabo meam. Videntur homines vulgo ignorare, Philosophiam nil aliud esse nisi praeparationem meditationemque mortis. Nam et mors est solutio animi a corpore, et Philosophiae munus in eo est positum, ut animus a rerum corporearum ludibriis ad rerum incorporearum constantiam traducatur. Philosophiae finis est is, ut per eam veritatis virtutisque participes fiamus : quorum quidem neutrum consequimur corpore. Sed videamus

primum de voluptatibus, quales consectetur philosophus. Utrum putatis eum esse philosophum, qui ventri et gulae studeat? aut qui Venereae voluptatis cupiditate inflammatus sit? aut qui corporis cultu et vestitu delicatulus atque elegantulus videri velit? aut qui gloriolae serviat, et vel blanditiis in hominum animos insinuare se studeat, vel arte et simulatione doctrinae speciem opinionemque consectetur? Enimvero philosophus unice veritati virtutique studet; neque ex corporis voluptatibus plus assumit, quam summa necessitas cogit. Videte vero etiam, numquid veritatis consequamur corpore. Immo contra se habet. Nil nisi speciem, externamque rerum faciem, sensibus percipimus: a qua specie quum animus ad puram sinceramque veritatem indagandam se convertit, tum vero se ipse quasi contrahit in se, corporis societatem fugit; cujus quippe ludibriis in rerum intelligibilium cogitatione turbatur: et ab omni sensu vel oculorum, vel aurium, vel reliquarum corporis partium, vacare et quiescere cupit. Hoc est, quod antiquissimi sapientissimique poëtae, Empedocles, Epicharmus, aliique dicunt, mentem solam videre et audire, non oculos auresque. At vero corpus nullo non tempore et loco veritatis indagationi obstat, ab eaque animum avertit. In corpore fons est non tantum ignorantiae et errorum, sed omnium malorum. Corporis necessitates nos quotidie de cibo, potu et sustentandâ vitâ sollicitos reddunt. Hinc pravae cupiditates existunt, Veneris, gulae, divitiarum, honorum; quae animum dies noctesque exstimulant, neque

consistere umquam sinunt. Hinc invidia, hinc bella; hinc civilis discordia et seditiones; hinc tyrannides et patriae proditiones. Quare, si quem videatis mortem timere, ne dubitetis, quin statuatis, eum non esse φιλόσοφον, id est, sapientiae studiosum, sed φιλοσώματον, id est corporis studiosum. Et tamen sunt qui sibi magnopere philosophi videantur, si studium sapientiae cum voluptatis studio conjungere possint. Quod quidem nullâ, neque Deorum neque hominum, vi effici potest. Nam veritatis quidem scientiam qualem assequantur, qui corpori dediti sunt, modo vidimus. Operae pretium est virtutem eorum considerare. Abstinent se ab aliis voluptatibus, ut aliis eo diutius fruantur: justitiam colunt, ne ipsi ab aliis injuriâ afficiantur: fortes fiunt, quúm non satis habent roboris ad tolerandas calamitates. Nulla est in iis vera solidaque virtus; non nisi adumbratae ejus imagines: omnia eorum benefacta redeunt ad quandam quasi versuram et permutationem voluptatum. At vero philosophus, quidquid agit, propterea agit, quia verum, bonum et justum est: neque, ut isti voluptatem suis actionibus, sed ipsam veritatem virtutemque consectatur: ut istorum virtus est mercatura veritatis. Et quod a mysteriorum auctoribus, minime contemnendis viris, proditum est: apud inferos, nisi qui initiati sint, in tenebris et squalore jacere: et multos esse thyrsigeros, paucos Bacchos. Haec igitur mysticorum dicta, sine dubio, ad philosophiam spectant. Nam Bacchi profecto non sunt alii, nisi qui vere philosophati sunt, quique men-

tem a corpore sevocare studuerunt. Itaque animus aut nusquam veritatem consequitur, aut apud inferos. Sed, ut nusquam eam consequatur, non est credibile; quippe animi nostri ad veritatis cognitionem facti sunt; neque iis obstat, quin hunc naturae fructum adipiscantur, nisi consuetudo corporis. Ergo efficitur, ut post hanc vitam demum purae sinceraeque veritatis cognitio nobis reservata sit: et ut quisque magis philosophiae studuit, eamque sincerius excoluit, ita quisque apud inferos remotior a tenebris et squalore, propiorque erit fonti limpidae aeternaeque veritatis. Ex quorum numero ut ego essem, omnem per totum vitae spatium operam dedi; num aliquid profecerim, brevi intelligam, quum a vobis discessero. Atque has ego rationes mecum reputans, non moleste fero instantem discessum: quin potius confido me apud inferos eundem dominum ac Deum habiturum, et veritatis cognitionem, cui per totam vitam studui, multo certiorem pleniorem que consecuturum. Haec est mea apud vos defensio: vestrum est judicare, utrum justa sit, nec ne. Haec quum dixisset Socrates, primum ei respondit Cebes. Egregie vero dixisti, o Socrates, et probo defensionem tuam, si quidem hoc animo consilioque nos relinquis. Sed hoc vulgo male habet homines, quid animo futurum sit, posteaquam ex corpore excesserit: metuunt enim, ne sub discessum ex corpore veluti vento dissipetur, et tamquam fumus evanescat. Quamquam, si ea est animi vis, ut extra corpus consistere, et in se congregatus vigere possit: magna no-

bis et praeclara ostenditur spes, animum solutum vinculis corporis, ejusque contagione et vitiis purgatum, felicem beatamque vitam acturum. Verum enimvero ipsum hoc ut demonstretur, animum post corporis mortem superesse, consistere, vigere, cogitare, hoc opus, hic labor est. Ejusque rei, o Socrates, si quam tenes demonstrationem, libenter eam ex te audire velim.

Tum Socrates, faciam inquit, o Cebes, quoad ejus a me fieri potest : neque enim paucas, quae mihi supersunt, horas melius collocare possim : neque verebor, ne Aristophanes aliusve comicus me reprehendat, quasi nuger et de rebus disputem, quae nil ad nos pertineant. Et primum quidem videamus eam rationem, quae summam habet antiquitatis auctoritatem : nimirum, animos nostros non aliunde nisi ab inferis venire, et in corpora nascentia ingredi, ac veluti circulo ex inferis ad superos et a superis vicissim ad inferos circumire. Quae si vera est sententia, de animorum immortalitate dubitari nequit : sin vana est, aliam quaeramus. Sed tamen prius hanc excutiamus. Quod ut recte accurateque fiat; non tantummodo spectemus homines, sed bruta quoque, plantas, et omnes res, quae ortum et interitum habent. Atque reperiemus, hanc in totâ naturâ constanter dominari legem, ut contraria ex contrariis oriantur : veluti, si quid majus fit, ex minori fit majus : atque sic in reliquis omnibus est rebus : velox fit ex tardo, firmum ex infirmo, calor ex frigore : ita fit etiam contra, minus ex majore, tardum ex veloci, infirmum ex firmo, ex

frigore calor. Quae quidem ratio in omnibus per totam naturam rebus valet : neque enim necesse est nominatim omnia enumerare. Hoc unum volo ; eâdem inter se necessitate conjunctas esse vitam ac mortem : atque ut ex vivo fit mortuus, ita ex mortuo vicissim fit vivus. Nisi forte putamus hac unâ in parte deficere naturam, et ex omnibus rebus duas solas exemtas esse ab ejus legis severitate, vitam ac mortem.

Ceterum, si quid haec argumentatio difficultatis obscuritatisque habere videatur : age, uberius eam explicemus. Igitur, quidquid mutatur, in alium transit statum : et omnis mutatio statu continetur triplici : primus est, ex quo res mutata discedit : secundus, quem permeat res mutata : tertius est ille, ad quem pervenit res mutata. Veluti, si quis dormit, is ex vigiliâ in somnum transiit. Hi duo sunt status, primus vigiliae, tertius somni, sed inter hos medius interjectus est secundus status, et transitus ex primo ad tertium : nimirum *obdormiscere.* Ita, si quis ex somno ad vigiliam redit, is interjectum permeat statum, quem vocamus *expergisci.* Ex die fit nox, interjectâ vesperâ : ex nocte fit dies, interjecto diluculo. Quare, ut quis in hunc mundum veniat, necesse est, eum permeet statum, quem vocamus *nasci :* et, ut quis mortuus sit, transeat oportet eum statum, qui appellatur *mori.* Itaque, moriundo non exstinguitur animus, sed in alium transit statum.

Porro, si generatio haberet viam directam, non in orbem : id est, ut omnes continuo vivi ad mortuos abirent, neque flexu viae ex mortuis

vicissim ad vivos redirent; tota paulatim rerum natura moriundo consumeretur, et somno veternoque opprimeretur multo graviore, quam ille in fabulis Endymion. Nunc vero non tantum verisimile, sed necesse adeo est, naturam ipsam sui esse conservatricem, neque se ipsam pariendo consumere, sed instaurare ex morte vitam, ex mortuis vivos. His igitur argumentis constare mihi videtur, post hanc fore aliam vitam, quâ, ut saepius dico, bonis melius, malis pejus futurum sit.

Tum Cebes: Non possum facere, quin tibi assentiar, o Socrates. Eoque magis, quod praeter eam, quam modo exposuisti rationem, alia se mihi offert, quam tu antehac saepius commemorare solebas: omnem disciplinam esse reminiscentiam, et totum illud, quod *discere* vocamus, nil esse aliud ac *reminisci*. Quod si verum est, oportet, animum in hoc corpus attulisse rerum notitias, et viguisse antequam homo nasceretur. Velim tamen rationis hujus uberiorem ex te audire demonstrationem; nisi forte molestum tibi sit. Minime id quidem molestum est: inquit Socrates, et faciam quod cupis. Itaque nimirum quotidie experimur, nos ex unius in alterius rei cogitationem deferri. Veluti, si quis videt Cebetem, is etiam in Simmiae cogitationem incidat. Et, si quem videmus hominem similem Cebeti, eum cogitando comparamus cum Cebete, et judicamus tacite, quam prope vel accedat ad ejus similitudinem, vel ab eâ deficiat. Neque hoc in iis tantum fit rebus, quas corporeo sensu percipimus: sed in iis etiam, quae sunt intelligibiles et a corporeâ

naturâ remotae. Veluti, quum statuam videmus pulchram; unde oritur illa cogitatio, *statuam esse pulchram?* Non aliunde profecto, nisi hinc, quod statuam tacite cum ipsâ pulchritudinis ideâ, tamquam cum exemplo comparamus, et judicamus; quam prope ad illud exemplum statua perveniat et appropinquet. Ita, si quod factum, vel aliud quid sensibus perceptum, judicamus esse pium, honestum, impium, turpe: haec omnia sensibus percepta referimus ad ideas universales pietatis, honestatis, impietatis, turpitudinis. Jam vero undenam hausimus ideas universales? non quidem sensibus corporis. Nam his haurimus ideas rerum singularium, quas ad universales ideas referimus atque exigimus. Et vero nisi prius habeamus ideas universales; ne intelligere quidem possimus singulares ideas: nil enim haberemus, ad quod, tamquam ad exemplum, eas referremus, et ex quo eas agnosceremus. Unde efficitur, non per sensus corporis primum rerum notitias in mentem inferri, sed in eâ jam antea fuisse: atque adeo animum prius vixisse ac viguisse, quam corpus nasceretur. Ad haec ita Simmias: Haud equidem repugno, quin hac ratione conficiatur, animum fuisse antequam corpus nasceretur. Neque tamen inde mihi videtur effici, eum quoque post mortem superstitem fore. Et restat adhuc illud dubium, quod Cebes modo injecit, ne forte animus e corpore egrediens subsistere nequeat, et veluti fumus evanescat.

Recte mones, inquit Cebes. Mihi quoque hac in parte laborare videtur Socratis disputatio. Nam

etiamsi fuit animus, antequam corpus nasceretur, quid impedit, quominus aliquando tamen intereat? Quis igitur satis locuples nobis auctor sit, hanc, quam nunc degimus, vitam non esse ultimam, quâ definitâ animus e corpore egrediens tamquam fumus evanescat. Dimidium saltem demonstrationis tuae absolutum est; dimidium vacat.

Immo vero, inquit Socrates, nil vacat: si quidem ea, quae modo concessistis, in memoriam vobis revocetis, et inter se conjungatis. Nam, si verum est, quod ostendimus, hanc esse constantem naturae legem, ut nil intereat, sed mutetur tantum: et, si verum est, animum notitias rerum sine corporis instrumento accepisse; non est, quod dubitemus animum esse sempiternum. Sed quandoquidem alte scrupulus hic inhaerere videtur, ut etiam nunc metuatis, puerorum more, ne vento dissipetur egrediens ex corpore animus, praesertim si egrediatur non serenâ ac tranquillâ, sed turbidâ et ventosâ tempestate: quaerendus vobis est incantator, qui hunc ex vobis metum ejiciat, ut certam de animorum immortalitate sententiam nanciscamini.

Vellem equidem, inquit Cebes, reperire possem ejusmodi incantatorem. Sed vereor, ne cras nemo amplius ejusmodi vir sit. —

Atqui, respondit Socrates, multi sunt in Graecis boni et sapientes viri: multi quoque in barbaris gentibus: hos, si me audietis, exquiretis atque adibitis. Nulla enim major graviorque est res, cujus scientiae causâ et labores peregrinationesque suscipere, et pecuniam tempusque impendere possitis.

Haec quidem, inquit Cebes, ita faciemus. Nunc vero, tu optime virorum, Socrates, quandoquidem discessus tuus jam jamque instat, noli, quaeso, nos relinquere, anteaquam demonstrationem uberius explicueris, et animorum immortalitatem nobis plene probaveris.

Faciam vero, inquit Socrates, et libenter quidem; si modo is ego sum, qui hujus rei scientiam teneam : sed pro viribus tamen enitar.

Jam primum omnium videndum est, quid sit illud *dissipari*, quod veremini ne animo accidat; dispiciendumque, an cadere hoc possit in animi naturam. Atqui *dissipari* nil est aliud, nisi dissolvi et partibus ita privari suis, ut hae discedant a se invicem, et illud quod his partibus continebatur, totum evanescat. Igitur dissipari nil potest, nisi quod ex partibus est compositum. Porro animadvertamus, eorum quae sunt, seu rerum, duo esse genera : horum alterum ex partibus est compositum, continuo mutationum turbine agitatur, neque umquam eodem statu manet : alterum simplex, quod nullis constat partibus, neque propterea tantis mutationibus subjectum est, sed suum statum obtinet. Compositum corporis contrectatur sensibus. Simplex sub nullum cadit corporis sensum, sed solâ mentis ratione intelligitur. Videamus jam, de duabus naturis animi et corporis, utra ad utrum genus pertineat. Corpus quidem, non est dubium, quin ad rerum compositarum genus pertineat. Quid vero dicamus de animo? Nimirum reperiemus in eum convenire attributa simplicis naturae. Animus nullo corporis sensu contrectatur,

sed solâ mentis ratione intelligitur. Animus, utcunque corpus continuo mutetur, nil magnopere ipse patitur : neque in eundem mutationum turbinem involvitur : Animus, quamvis corpus mutiletur et sentiendi instrumentis privetur, non tamen ipse cogitandi vi privatur.

Porro videamus, quânam nostri parte simplicis illius et immutabilis naturae genus intelligamus, animone an corpore? Et corpore quidem, ut supra monuimus, res compositae nobis innotescunt, in quibus nil est constantiae nec veritatis. Cumque animus ad indagationem simplicis illius et vere constantis naturae se dat, non modo nil adjumenti a corpore nanciscitur : contra impeditur ab eo, retrahitur ad compositarum rerum turbinem, vertigine corripitur, et veluti ebrius oberrat. Contra, quum animus ipse a corporearum rerum cogitatione se averterit, aciemque suam in se collegerit, tum vero tranquillitate fruitur, et sui similem nactus naturam, in eâ versatur, pasciturque purae sinceraeque veritatis contemplatione. Porro animus imperat, corpus obedit : animus domini partes habet, corpus servi; ut hinc quoque intelligi possit, quae sit praestantior diviniorque natura, animine an corporis. Denique, si per totam disputationem apparuit contrarias esse animi et corporis naturas : et, si verum est, de quo dubitari nequit, contrariarum rerum contraria esse attributa; efficitur animum esse indissolubilem, si quidem corpus dissolvitur. Atque, ut corporis partes dissolvuntur, et in terram, aquam, ignem, aëremve abeunt, et adjungunt se postea vel aliis rebus, vel plantis, vel animalium hominumque corpo-

ribus : ita nec dissolvetur animus, sed constabit atque subsistet, et in simplicem invisibilemque locum abibit, qui est ipsius veritatis ac supremi illius et sapientissimi Dei domicilium : quo et ego mox perveniam, siquidem vero sinceroque animo philosophiae operam dedi. Est enim hoc philosophi officium, ut spretis voluptatibus, ludibriis, ministerioque corporis, animi vim in se ipsam colligat, et convertat ad contemplationem purae sinceraeque bonitatis, pulchritudinis et veritatis. Et intelligitis profecto, quod saepius diximus, philosophiam esse commentationem mortis : quippe quae animum a corporis vinculis, quoad ejus fieri potest, liberat, et ad limpidos certosque veritatis virtutisque fontes ducit. Quare, ut quisque minimum cum corporis voluptatibus habuit commercii, contra maxime purum castumque ab ejus contagione servavit animum, ita quisque certius citiusque in illas coelestes divinasque regiones et ad illum sapientiae fontem Deum perveniet, ejusque commercio beatum et immortale deget aevum, liberatus errore, ignorantiâ, timoribus, et cupiditatibus, quibus veluti furiis agitantur miseri mortales. Contra, qui, dum viverent, hanc mortis meditationem philosophiamque neglexerunt, illis post hanc vitam non modo nullam felicitatem, sed molestias, taedia timoresque paratos esse, credibile est. Quid enim ? qui vitam ita transegerunt, ut omnia facta consiliaque ad corpus referrent : ut nil verum esse putarent, nisi quod sub corporis sensus cadere posset : nil bonum, nisi quod corpori aliquam titillationem adferret, vel cibo, vel

potu, vel Venere, vel aliâ libidine : nil malum, nisi quod a corpore has voluptates averteret : qui nil justum, nil honestum esse voluerunt, nisi quod idem suaviter adficeret corpus : qui suas cogitationes actionesque ita instituerunt, ut et a corpore proficiscerentur, et ad corpus redirent : qui denique se totos corporeae naturae tradiderunt, ejusque voluptates consectati sunt, quibus veluti clavis animus corpori adfigitur ; tales igitur animos, corpore mortuo, vigere posse putemus ? Immo, ut mortales oculi solem continuo intuendo excaecantur : ita homines, qui per hanc vitam illum divinum animi sensum, quo ipsa veritas percipitur, non exercuerunt, hi post mortem nil vident, sed in tenebris et squalore volutantur.

Haec quum dixisset Socrates, diu silentium fuit : videbaturque ipse secum tacitus commentari ea, quae modo disseruerat.

Et nobis quidem sufficiat, A. H., hac lectione, Socratis disputationem hucusque deduxisse. Reliquam partem proxime absolvemus. Neque etiam hoc a me nunc exigetis, ut disceptationem horum argumentorum suscipiam : quod quidem aliis lectionibus fit : quum metaphysicam ejus doctrinae partem explicamus : nunc in historicâ parte versamur. Sed tamen, ne omnino tacuisse videamur de hujus disputationis vi ac laude ; animadvertatis, duplici argumentorum genere usum esse Socratem, quorum alterum ex divinâ providentiâ ductum est, alterum ex ipsâ naturâ animi. Ac Providentiam quidem Divinam tamquam certam demonstratamque sumserat : quippe haec materia et

alibi a Platone tractata erat, et latius patet, quam quae hoc loco explicari posset. Et habet illa profecto maximam vim ad vindicandam animis immortalitatem, et accommodata est ad popularem captum et communem hominum sensum : ut vidimus primâ lectione. Quae quidem argumenta spero vobis vel placuisse, vel nil reprehensionis habuisse. Alterum genus argumentorum, quod ex ipsius animi naturâ ducitur, aliquid, ni fallor, habuit vel obscuritatis, vel difficultatis, vel dubitationis. Quod licet hoc loco explicari nequeat, notabimus tamen ejus partes ac distributionem; ut hac universâ materiae cognitione postea aliquando utamur ad ejus interiorem intelligentiam aperiendam.

Primum fuit; nascentes jam antea fuisse, et ex morte ad vitam redire. Hoc quamquam nemini facile nostrâ aetate probetur, et antiquitus etiam, exceptis Platonicis et Pythagoreis, paucis probatum sit; tamen ejus confirmandi causâ duas attulit rationes Plato, quae valeant ad immortalitatem animorum. Altera est : nil in rerum naturâ perire, nec interitum, sed dissolutionem partium, in eâ locum habere : cujus rationis vim acute perspexit atque explicuit *Mendelsohnus*, vir egregius. Altera est ratio, quae ducitur ipsâ quoque ex Pythagoreorum doctrinâ, animos hominum involutas rerum notiones in hunc mundum attulisse : quae opinio *Cartesium* et inprimis *Leibnitium* patronos nacta est, quos *Lockius* confutavit, ut Platonem Aristoteles.

Secundum argumentum continetur comparatione

animi et corporis: quâ colligitur, duas has naturas toto genere diversas esse, et contrariis attributis constare. Est enim ex Platonis sententiâ duplex rerum genus, simplicium et compositarum: simplicium generi tres quasi formae subjectae sunt, *Deus*, *Ideae* et *Animi*. Sed nos proximâ lectione cum audiemus Socratem, et haec argumenta confirmantem et nova expromentem, tum spectabimus eum ex vitâ discedentem. Cui lectioni ut frequentes adesse velitis, A. H., eâ, quâ par est, observantiâ rogo atque oro.

LECTIO QUINTA.

Posteaquam Socratica disputatio ad eum locum perducta fuisset, quo superiore lectione substitimus, aliquamdiu silentium fuit, et Socratis et amicorum, cum pro se quisque ea, quae dicta erant, tacitâ cogitatione revolveret. Tandem Cebes et Simmias paulum inter se ac submissâ voce colloqui coeperunt. Quod animadvertens Socrates, Quid vos, inquit, clam inter vos? nam si de aliis rebus agitis, non habeo quod dicam: sin vero de iis quaeritis, quae modo disputata sunt, aut si nondum satis persuasum est vobis, nolite, quaeso, me celare; nam aut meliora me docebitis, aut simul novam indagandae veritatis viam ingrediemur.

Tum Simmias, Ego vero, inquit, dicam quod res est. Dudum enim ego et Cebes nos invicem hortamur et protrudimus ad te interrogandum:

neque audemus molestiam tibi facere; propter instantem tuam calamitatem.

Socrates leniter subridens, Hercle, inquit, difficulter aliis persuadeam, me discessum e vitâ non in calamitatis loco ponere, si ne vobis quidem hoc persuadere potui. Sed age, proferatis dubia vestra. Neque enim suavius transigere possim rectiusque hoc quantulum mihi superest temporis, quam in hac commentatione philosophiae, ut, quemadmodum cygni, Apollinis alites, ita ego et ipse Apollinis minister, sub philosophiae cantu ex hac vitâ discedam.

Tu vero, inquit Simmias, idem semper es, o Socrates, tibique consentis. Quare dicam quod sentio. Mihi enim, et fortasse tibi quoque, videtur fieri non posse, ut in hac vita certam exploratamque immortalitatis scientiam et demonstrationem consequamur. Neque tamen eos probo, qui totam hanc quaestionem, tamquam incertam, negligunt. Contra, quicumque generosae ad veritatem est indolis, eum decet cum attingere immortalitatis argumentum, tum illud ita tractare, ut ejus demonstrationes ab aliis inventas dijudicet, ex iisque eam, quae proxime ad verisimilitudinem accedat, probet ac tueatur, ejusque praesidio ac solatio, tamquam rate, hoc impetuosum vitae pelagus trajiciat. Quare libere mentem meam tibi aperiam, o Socrates, neque committam, ut me postea poenitentia subeat, quum meminero, me tuam non exquisivisse sententiam, qui paucis ante obitum horis tam benevole copiam tui amicis feceris. Igitur, quod pace tua dixerim, videntur

mihi omnia, quae hucusque exposuisti argumenta, vana et infirma esse. Vide, ut hoc utar, sonum lyrae seu harmoniam, quae invisibilis, a corporeâ concretione libera, et omnino aliquid divini est: cum tamen ea, ex quibus existit harmonia, nimirum ipsa lyra, ejusque chordae et aliae partes sint corporeae. Quid igitur, lyrâ fractâ, ejusque chordis ruptis, dissolutisque partibus, nonne ipsa harmonia interiit? An vero eum probemus, qui contendat, harmoniam adhuc alicubi esse; quippe quae sit incorporea et multo praestantioris naturae, quam lyra et chordae? Hoc igitur velim cogites, o Socrates, plerosque homines, nec fortasse temere, arbitrari, animum nil aliud esse, nisi quandam corporis harmoniam et intentionem, quae oriatur ex justo temperamento ignis et humoris, caloris et frigoris: quae si juste temperata sint in corpore, animum vigere: sin vero nimium vel intendantur, vel remittantur, tum vero animum destrui, quamquam sit multo praestantioris naturae, quam corpus.

Tum Socrates, circumspiciens, ut solebat, et vultu leniter ad risum soluto, Recte, inquit, reprehensus sum a Simmiâ: sed videamus, quae sit Cebetis reprehensio. Et Cebes, etiamsi tibi, o Socrates, concedam, bene a te demonstratum esse, animos vivere antequam in haec corpora veniant; videris mihi tamen nil profecisse ad immortalitatis demonstrationem, sed eodem haerere loco. Hinc enim unum consequitur hoc, animum firmioris ac diuturnioris esse naturae, quam corpus, non vero etiam, eum esse sempiternae naturae. Neque nobis

quisquam praestet, quin hoc; in quo nunc degimus, ultimum sit corpus, quo mortuo, ipse quoque animus mori debeat. Sed exemplo utar, sicuti Simmias. Fac mortuum esse hominem, qui ipse sibi vestimenta sua textuerit : qualis fuit Hippias Eleus : tum amicos convenire in ejus domum, et, ut fit, defuncti mentionem facere : ex his vero sit unus, qui contendat, Hippiam non interiisse, sed alicubi adhuc superesse : et in ejus rei documentum adferat vestes Hippiae, dicatque, quodsi vestes ab Hippia textae supersint, necesse omnino esse, ipsum earum textorem Hippiam superesse. Quid putas, o Socrates? hancne rationem magnopere probabunt audientes? Igitur animus, licet multa corpora veluti vestimenta contriverit, iisque superstes fuerit; tamen ipse fortasse diuturnitate aevi conteratur, et ultimo corpore citius dissolvatur.

Haec postquam dicta essent a Simmiâ et Cebete, omnes, qui apud Socratem aderamus, dolore percussi vehementerque conturbati sumus. Modo enim nos disputatio Socratis in summam spem immortalitatis adduxerat, neque quidquam ad ejus demonstrationis firmitatem requirebamus. Nunc vero Simmiae et Cebetis argumentatio totam illam spem penitus tollebat. Igitur continuo nos incessit, et nostrûm contemtus, qui tam facile assensi essemus rationi Socratis : et diffidentia quaedam et dubitatio adversus omnem hujus argumenti conclusionem : tum vero ipsius philosophiae nos capiebat despectus ac taedium, quasi multa et praeclara polliceretur, sed nil quidquam praestaret. Verum

enim cum antea saepius, tum vero ipso isto tempore inprimis, admiratus sum ingenium animumque Socratis. Nam non solum humaniter amanterque excepit illas Cebetis ac Simmiae dubitationes; sed animàdvertens nostrum affectum, sollerter eum prudenterque sanavit, nosque in immortalitatis spem ac persuasionem restituit. Et primum quidem sapienter dejectos nostros animos ad argumenti indagationem revocavit, admonuitque, ut caveremus nobis, ne aliquando falsâ conclusione decepti ejus erroris indignatione a studio philosophiae desisteremus : nam uti misanthropi existerent, qui a compluribus deinceps hominibus, in quibus plurimum fidei posuissent, decepti essent, ut eos paulatim odium adversus omnes homines capiat, atque ita hominum osores evadant: eâdem ratione misosophos existere, seu osores philosophiae, qui sententias eas, quas magnoperè probarint atque adamarint, falsas esse intellexerint, ut paulatim in eam inducantur opinionem, nil esse in totâ philosophiâ certae firmaeque scientiae. Igitur et nos, inquit, o Amici, caveamus nobis ab isto vitio : neque patiamur nos unquam a philosophiae studio deterreri. Sed nunc quidem ad propositam quaestionem redeamus. Simmias nimirum putat, animum esse harmoniam, quae a partibus efficiatur, sicuti lyrae concentus a chordis existit. Enim vero hanc opinionem unâ interrogatione confutare possim; si quidem concedis, quod modo concesseras, animum fuisse antequam in corpus veniret. Nam si fuit animus, antequam corpus nasceretur, necesse profecto est, eum

plurimum ab harmoniâ differre ; quippe harmonia tum demum existit, quum lyrâ chordis et reliquis partibus apta pulsatur : animus fuit etiam tunc, quum corpus nondum esset. Atqui hac unâ interrogatione jam defungi, atque ad Cebetis dubitationem transire possim. Verum non agam tamquam geometrae, qui brevibus conclusiunculis ex iis, quae antea concessa sunt, argumentum conficiunt : sed propriis et suis argumentis nostram quaestionem uberius disceptemus. Quod si ergo quis tuetur, animum esse harmoniam, is harmoniam tamquam commune attributum omnibus et singulis animis tribuere debet. Jam vero, sicuti harmonia alia magis est harmonia, quam alia ; ita non eâdem ratione dici potest, animum alium magis esse animum, quam alium. Porro, in corpore per harmoniam sive temperamentum humoris et siccitatis, caloris et frigoris, efficitur quidem sanitas : sed vis animi, quae in cogitatione posita est, quomodo inde possit effici ? Et videmus nonnumquam in corporibus robustissimis, maximum inesse ingenii stuporem : contra in corporibus male temperatis et adversâ valetudine affectis haud raro plurimum ingenii elucere deprehendimus. Et de harmoniâ Simmiae satis dictum esse videtur : consideremus jam Cebetis discrepantiam. Nimirum placebat tibi, o Cebes, etiamsi animus in multis antea corporibus fuisset, nil tamen impedire, quominus diuturnitate temporis consumatur et aliquando intereat. Et vero magnae quaestionis disputationem moves, o Cebes. Explicanda enim est vis naturae, rerum ortus atque

interitus: quod quidem argumentum hoc tempore a nobis disceptari nequit : sed tamen, si vultis, narrabo vobis, quid mihi in ejus studio acciderit.

Quum omnes assensi essemus, ego, inquit Socrates, ab ineunte aetate mirificum quendam amorem conceperam ejus doctrinae, quam vulgo *Physicam* appellant. Videbatur mihi praeclara quaedam et magnifica ejus esse ratio; quippe quae doceret, quibus causis omnes res vel orirentur, vel interirent. Igitur in ejus doctrinae indagatione multum operae studiique collocavi, et me in omnes partes converti : tandem, quum viderem vanum esse meum laborem, neque me quidquam profecisse ad cognitionem rerum, totum hoc studium abjeci. Postea forte in Anaxagorae notitiam perveni, qui omnium rerum causas in mente quadam et ratione ponebat : ejusque sententiae verisimilitudine iterum ad hanc doctrinam revocatus et mirifico ejus amore incensus sum; quippe putabam me jam veluti clavem nactum esse, quâ recondita naturae penetralia recluderem. Verum enim, o amici, ab ingenti spe dejectus sum. Nam quum illam Anaxagorae rationem ad causarum explicationem adhiberem, nil reperiebam, nisi hoc unum, de quo neque antea dubitaveram, rerum effectus ex ejusmodi proficisci causis, quas Divina mens animorum corporumque naturae indidisset : quae vero essent illae causae, quae natura et actio earum, quis modus mutationum, hoc vero per Anaxagoream rationem non intelligebam. Itaque relictâ illâ physicâ explicatione, recepi me ad rudem vulgi simplicitatem. Et videte, quaeso,

quam simpliciter, aut, si vultis, inepte, apud me statuerim. Quodsi enim quaerebatur, quâ de causâ aliquid vel pulchrum vel turpe esset, scitas illas et reconditas philosophorum rationes relinquebam: hoc unum firmiter tenebam atque unice constare credebam, pulchrum quid esse, si pulchritudinem haberet; et turpe, si turpitudinem haberet: atque ita de omnibus reliquis rebus decernebam, bonum quid fieri bonitatis praesentiâ, pravum pravitatis, justum justitiae, injustum injustitiae praesentiâ. Atqui haec ipsa quamvis rudis et incondita sententia me ad verum deduxit. Coepi enim tandem dispicere atque intelligere, nil esse in rerum naturâ constans et immutabile, exceptis ideis atque essentiis rerum; corpus v. c. videbam ex frigido calidum fieri, et contra; hominem ex injusto justum: at vero ipsam justitiam non posse injustitiam fieri, neque ipsum frigus calorem. Cum igitur duo sint genera rerum, alterum constans et immutabile, alterum perpetuo fluens et mortale, deprehendisse mihi sum visus, animum esse ex altero illo genere rerum, quae non perirent, sed statum suum obtinerent. Est enim eadem vis et essentia animi atque vitae; quippe animi praesentia corpori vitam adfert. Unde efficitur, corpore mortuo, animum superstitem esse; quamquam ejus notitia neque sub sensum nostrum cadat, neque ejus ulla vestigia in corpore supersint. Age vero, adjungamus huic argumentationi superiorem. Videmus animum non esse harmoniam, at contra, omne corpus esse harmoniam. Itaque animus non est corpus. Quid igitur tandem est animus? Nimi-

rum; siquidem corpus omne continetur concretione partium; necesse est, animum esse unum quoddam et simplex. Et si corporis interitus fit partium dissolutione, animus quomodo interire possit, intelligi nequit.

Hac Socratis disputatione finitâ, nos omnes tacebamus. Unus erat, qui responderet, Simmias. Equidem, ait, non habeo, quod reprehendam, o Socrates: sed tamen, nescio quid mihi in animo residet scrupuli ac dubitationis; sive quod hebetiore sum ingenio, quam ut hanc subtilitatem capiam, sive quod humanae imbecillitati diffidens assensum ipse cohibeo. Recte tu quidem, inquit Socrates. Nam et de aliis dubitandum est rebus atque inquirendum, quamquam eas percepisse nobis visi sumus: nimirum de principiis ac fontibus unde haec demonstratio ducta est. Quos quidem fontes si per reliquum, quod vobis superest, vitae spatium diligenter indagaveritis et cognoveritis; nullus dubito, quin eandem atque ego immortalitatis persuasionem eundemque firmitatis sensum percepturi sitis.

Haetenus, A. H., pertinent argumenta hujus quaestionis. Reliqua dialogi pars continet exitum Socratis ex hac vitâ: quam partem quominus praetereamus silentio, cum ipsa disputationis absolutio postulat, tum ejus cognitionis voluptas nos invitat.

Igitur denuo hunc in modum sermonem habuit Socrates. Arbitror, vos jam intelligere, o amici, operae pretium esse, ut quisque, per hujus vitae spatium, animum suum colat et aptum reddat,

immortalitati, atque in hoc studio tempus omne omnemque operam collocet. Majores quidem nostri atque poëtae de Inferis ea prodiderunt, quae nostis : judices finxerunt Minoëm, Rhadamantum et Aeacum : poenas impiorum, Furias, Tartarum et Pyriphlegethontem : tum praemia piorum in Elysiis campis. Quae quidem ita vere se habere, haud vehementer affirmaverim. Hoc vero maximâ contendo ac tueor asseveratione : superesse animos post corporis mortem : discretas esse sortes ac sedes piorum atque impiorum : et ita quemque beatissimum fore, ut quisque per hanc vitam se a corporis voluptatibus atque servitio, abduxerit, ab ejusque vitiorum labe se purum castumque servaverit : animum bonarum cogitationum doctrinarumque alimento nutriverit, eumque in veritatis et virtutis studio exercuerit; et ad illum omnium bonorum fontem, Deum, propius adduxerit. Quo mihi jam abeundum est. Ego vero nunc me ad lavacrum convertam; ne mortuus aliis negotia faciam. Tum Criton, Nobis vero, inquit, o Socrates, quid mandas, et quid est quod tibi mortuo gratum facere possimus? Nil est, inquit, quod vobis mandem, nisi quod et nunc et antea saepius vos hortatus sum, ut eam vitae rationem sequamini, quâ animum vestrum excolatis et ad immortalitatis praemia suscipienda comparetis. At vero, inquit Criton, quomodo vis te sepeliamus? Quomodocumque, respondet, vobis libuerit, si modo capere me potueritis, neque vos effugero. Et simul placidum ridens, nosque adspiciens, Nescio, inquit, quomodo Critoni persuadere non possum,

me non esse eundem, quem brevi extensum morti tuumque videbitis. Nunc animus meus adhuc in corpore est, qui si ex eo discesserit, non amplius habebitis Socratem, sed habitaculum ejus atque involucrum. Hoc velim persuadeatis Critoni, quo lenius ferat mortem meam; neque doleat, quum viderit corpus meum cremari, vel humari, credens, Socratem cremari vel humari. Videte, quid adferat damni, verbis non recte uti; non solum per se turpe est, sed errorem quoque et vitium infert animis. Quare bono sis animo, mi Criton, et corpus meum ita sepelies, prouti et justum putabis, et tibi placebit. His dictis egreditur in proximum cubiculum, ut lavacro uteretur. Solus eum sequebatur Criton: nos interea, modo sermones ab eo habitos repetebamus, modo calamitatem nostram miserebamus non secus, ac si patre orbaremur.

Peracto lavacro, liberi ad eum adducuntur duo parvuli et unus adultus, praeterea mulieres cognatae. Quibus cum ultima dedisset mandata, rediit ad nos, placideque consedit, neque magnopere quid locutus est. Tum carceris praefectus ingreditur, ad eumque accedens, Invitus, inquit, o Socrates, officium meum perago: quamquam scio, te non esse eum, qui mihi maledicat aut irascatur: quod solent facere vulgo ii, quibus mortem annuntio: ex quo enim fuisti in carcere, cognovi te mansueti magnique animi virum esse. Quare, nosti enim quid te velim, vale et fortiter perfer praesentem necessitatem.

His dictis, Praefectus obortisque ei lachrimis, convertit se atque abiit.

Tum Socrates, Et tu quoque vale, optime vir. Fuit enim hic homo benevolo erga me animo, quoad in carcere fui: et saepius ad me veniens mecum collocutus est, meamque sortem ploravit. Sed age, adferatur jam poculum, si paratum est. —

Et Criton, nondum, inquit, sol occidit. En! adhuc lux est in montium verticibus: non est, quod tantopere festines, o Socrates: licet etiam nunc differre potum: multos novi, qui antequam sumerent cicutam, prius bene coenarent aliisque deliciis fruerentur: quare noli, o Socrates, praeter necessitatem ipse tuum maturare discessum. Illi vero, inquit Socrates, qui sic faciunt, fortasse sibi constant: ego si facerem, non constarem mihi: neque ducendo tempore aliud quid lucrarer, nisi ut ipse mihi deridendus videar. Quare obtemperes mihi, quaeso, neque aliter facias!

Itaque Criton famulo suo prope adstanti signum dedit nutu. Hic egressus et diu extra moratus, tandem rediit, secum ducens carceris ministrum, qui paratum adferebat poculum. Quem Socrates intuens, Age, inquit, bone vir, quomodo me oportet facere; tu enim peritus es hujus rei.

Quum ebiberis, respondet ille, obambulandum, donec senties genua gravari: postea recumbendum in lectum. Et simul ei tradidit poculum. Socrates accipit poculum, nil quidquam aut tremens, aut vultum mutans: et, quid vero, inquit, licetne libare ex hoc poculo Diis immortalibus? Tum minister, Noli, ait, hoc quidem facere, o Socrates; neque enim plus paramus, quam quantum satis est. Intelligo, inquit Socrates: at pre-

cari tamen ad poculum et licet, et oportet Diis immortalibus, ut haec mihi domicilii mutatio bene feliciterque eveniat. Itaque precor, et ita fiat o Dii! Hoc dicto, poculum ori admovens facile ac tranquille exhausit. Nos vero, quamquam lacrymas adhuc vix cohibuissemus; jam, quum eum et bibere et bibisse videremus, tum vero lacrymae nobis veluti vi et impetu erumpunt. Erant etiam qui exclamarent ejulatu, et pectora pertunderent. At Socrates, Quid agitis, inquit, o mirifici homines: nam hac ipsâ de causâ mulieres ablegaveram. Ita enim semper audieram, non inter ejulatus et lamentationes, sed inter laetas faustasque acclamationes ex hac vitâ esse discedendum.

Haec nos oratio pudore percussit ac lacrymas repressit. Socrates vero posteaquam paululum obambulasset, donec sentiret gravitatem accidere genubus, supinus recubuit in lectulo: et frigore paulatim sursum ad pectus adscendente, leniter placideque exspiravit. Hunc vitae exitum, o Echecrates, habuit magister, et, ut vere dicam, parens noster Socrates. Quo nos quidem virum vel meliorem vel prudentiorem non cognovimus.

Habetis, A. H., argumentum Phaedonis, quod quidem ita coarctavimus et ad summae brevitatem contraximus, ut conclusionum tamen ratio et materia appareret. Memoriae proditum est: Platonem quum hunc librum in publico hominum doctorum conventu praelegeret, quod solebant facere Antiqui, priusquam librum vulgarent: igitur ex hac auditione paulatim plerosque abiisse; Aristotelem et paucos alios usque ad finem permansisse, qui

soli eo valerent acumine, quo disputationis subtilitatem assequerentur.

Vos quidem, A. H., spero, nil ex argumentationis obscuritate taedii, contra nonnihil etiam ex disputationis ratione ac descriptione voluptatis percepisse. Sed tamen, ut magis etiam ad ipsius disputationis intelligentiam proficiamus; age, redigamus totam demonstrationem in sua capita.

Primum caput in eo est positum, ut ostendatur animum praecipue vigore et cogitando valere tum, cum se, quoad ejus fieri potuit, maxime a corpore segregaverit, et ipse in se collegerit. Inde confici, eum, ut cogitandi vim obtineat, adeo non opus habere corporis communione, ut potius ab illius societate solutus et morte liberatus, demum naturae suae bono potiatur.

Hinc nascitur aliud argumentum, ipsum quoque a corporis reprehensione desumtum. Corpus enim est inimicum et contrarium virtuti. In corpore fons est omnis corruptionis et labis. Corporis victui servire cogitur animus: ejusque voluptatum sollicitatione in vitia et immania scelera inducitur. Igitur animus nequit veram sinceramque virtutem consequi, nisi si liberatus sit a corporis contagione et vinculis.

Tertium argumentum ducitur a Providentiâ Divinâ: quae quidem a duobus attributis spectatur. Primum a *justitiâ;* quâ benefactis praemia et malefactis poenas constituit: atque hoc justitiae munus quum in hujus vitae brevitate non absolvatur, quippe in quâ saepissime bonis male et malis bene est; efficitur post hanc vitam suum cuique

tributum iri. Alterum attributum, a quo Divina providentia spectatur, continetur *Veracitate* et *Studio perfectionis*. Nam Deus, qui est fons omnium bonorum, in condendo genere humano consilium secutus est perfectionis, id est, hominem creavit, ut perfectionem consequeretur. Sed perfectio posita est in veritate et virtute, quarum neutram assequimur, quamdiu corporis vinculis constricti sumus. Igitur necesse est, animum non interire cum corpore, sed post hanc vitam demum vires explicare suas, et ad virtutis veritatisque finem contendere.

Quartum argumentum eo valet, ut ostendatur animos hominum ante hanc vitam in aliis corporibus fuisse, et post hanc vitam rursus in alia secedere corpora. Quam sententiam ex Pythagoricâ scholâ petitam Plato non tam poëtarum modo exornavit, quam philosophorum ratione certis argumentis confirmare studuit. Quae quidem argumenta tribus continentur partibus. Primae partis haec est vis ac sententia : discere nil aliud esse nisi recordari, et per disciplinas non novas ideas cogitationesque in mentem inferri, sed veteres instaurari. Haec opinio latius a Platone alio dialogo, cui nomen est *Menon*, explicita erat : et habet omnino plus disputationis et verisimilitudinis, quam quidem primo apparet obtutu; invenit quoque recentiore aetate celeberrimos viros, qui ejus patrocinium susciperent. Nam, de fonte atque initio cogitationis, duae sunt eaeque contrariae philosophorum sententiae : altera Aristotelis et Lockii, qui statuunt cognitionis initium positum esse in sensibus, per quos primum rerum

externarum imagines inferri in mentem nudam et vacuam ab omni cogitatione et notitiâ.

Altera est sententia Platonis, qui tuetur, fuisse quasdam in animo notitias antequam nasceretur homo; quippe animus non possit suscipere ac veluti agnoscere imagines rerum externarum atque per sensus oblatarum, nisi alias ipse haberet notitias atque ideas, ad quas res extrinsecus perceptas referret atque exigeret. Atque hanc sententiam secutus est Leibnitius, eamque sub nomine doctrinae de ideis innatis celebravit. Sed Plato quidem conficere hinc voluit, fuisse antea in aliis corporibus animum. Leibnitio hoc unum satis fuit, habuisse animum notitias antequam in corpus veniret.

Secunda pars argumenti ejus, quo Plato confici voluit animos fuisse antequam in corpora venirent; duabus continetur rationibus. Harum prior ejusmodi est : nullum esse in totâ naturâ interitum; nam illud, quod interire videatur, non abire in nihilum, sed in alium statum transire atque dissolvi in suas partes : jam vero quousque tandem natura progrediatur dissolutione partium, nunquam eam perventuram ad ejusmodi partes, quae dissolutae in nihilum abeant; contra semper minores partes eam retinere indolem, ut aequali atque majores partes intervallo, id est infinito, distent a nihilo. Et vero mutationes omnes fiunt paulatim et successione graduum : sed interitus, qui positus est in mutatione ejus quod est in illud, quod non est atque in nihilum, et intelligitur transitu ab esse ad non esse : hic igitur interitus quum

non fiat successione graduum, ne confici quidem potest viribus naturae. Hic est finis hujus rationis, quam ut supra monuimus, acute perspexit et copiose explicuit Mendelsohnus in egregio libello de Immortalitate.

Posterior ratio eo valet, ut demonstretur, omnes in rerum naturâ mutationes et conversiones fieri in orbem et quasi circulum; ut res mutatae ex alio in alium statum transeant, ac deinceps in eundem statum redeant; quod si enim res interirent atque in nihilum abirent, fore ut tota natura paulatim consumeretur et emoreretur; ut igitur ex vivis fiant mortui, sic ex mortuis denuo fieri vivos. Quâ quidem conclusione quamquam nimium conficere voluit Plato, tamen semina principiaque protulit argumenti egregii cujusdam, atque in vestigiis nos posuit, quibus persequendis intelligatur, eos, qui statuant animos interire, haud minus absurda repugnantiaque dicere, quam eos, qui contendant universam naturam paulatim consumi atque in nihilum abire.

Et hucusque illud effecerat Plato; in universâ naturâ nil interire, neque quidquam abire in nihilum. At vero intelligebat, deesse adhuc aliquid ad absolutionem demonstrationis. Nimirum, licet nulla res intereat, sed hactenus tantum commutetur, ut in alium statum transeat ac partibus dissolvatur suis; nondum tamen ostensum est, fieri non posse, ut animus abeat in ejusmodi statum, quo partibus dissolvatur suis, et, quamquam superstes, tamen vitam et cogitationem amittat. Igitur disputationi reliquam adjunxit partem,

qua ostenditur, animum non esse corporeae naturae; neque amittere igitur eum posse vim cogitandi; quippe quae non existeret ex compositione partium. Et primo quidem hoc tamquam certum ponitur, duo esse genera rerum, alterum earum, quae compositae sint ex partibus, et corporeâ naturâ contineantur: alterum earum, quae partes habeant nullas, sed contineantur naturâ simplici. Deinde comparatione animi et corporis colligitur, animum totâ naturâ differre a corpore, et simplicem esse, nec partibus contineri. Corpus percipitur sensibus corporis, animus non nisi animi cogitatione intelligitur: Animus imperat; corpus servit: Animus ipse sibi semper unus idemque manet, corpus continuo mutationum turbine versatur, et ex alio aliud fit. Animus cogitandi facultatem immunem et illaesam servat, etiam tum, quum corpus membrorum laesione aliquam sentiendi partem amiserit.

Porro, quum notiones sint duplicis generis, rerum vel corporearum vel simplicium, sive universalium sive alio modo a corporeâ naturâ penitus disjunctarum; animo quidem utrumque genus notionum percipitur, corpore vero solum corporeum. Itaque animus est praestantioris, et quidem simplicis naturae. Quod si vero quis Empedoclis ac Zenonis Eleatae opinionem tueri velit, cogitandi vim esse harmoniam corporis, atque effici justo temperamento humoris et siccitatis, caloris et frigoris; huic ita occurritur, ut ostendatur, tali temperamento corporis quidem sanitatem effici, animi vero cogitatio quomodo eodem tempera-

mento efficiatur, intelligi non posse : repugnare quoque communi experientiae, cogitationem contineri harmoniâ, quippe in multorum hominum cogitatione non harmoniam, sed discrepantiam inesse. Cćterum hujus argumenti vim, qui Platonis vestigiis institerunt, postea uberius explicuerunt, atque nobis egregiam pepererunt demonstrationem, quâ efficitur, cogitandi vim non posse existere in corpore per harmoniam seu consensionem partium ejus.

Denique ultimo loco ejusmodi argumentum a Platone propositum est, quod ego quidem probare non possim, et verbo notandum videatur. Ejus haec est vis : Essentias rerum esse constantes et immutabiles : atqui animi essentiam positam esse in cogitatione : ergo fieri non posse, ut animus umquam cogitationem amittat : itaque effici, animum esse immortalem. Haec, inquam, argumenti conclusio mihi non probatur. Et ut nil dicam de aliis ejus partibus, quae reprehendi possint, Plato confudit hoc loco genus rerum existentium cum genere rerum possibilium. Nam, ut, v. c., res, quae movetur, non potest intelligi, nisi ita, ut locum suum mutet : nulla tamen necessitas inde consequitur, ut res illa semper moveatur, aut semper existat : ita concedo, animum non posse intelligi, nisi ut sit res cogitans; neque tamen concedo inde effici, animum semper esse, numquam esse desinere. Sed nimirum Plato, quum Ideas existere statueret, iisque aeternitatem tribueret, quumque animos ad eamdem naturam retulisset; consequens erat, ut statueret, animos

non magis vitâ posse privari, quam triangulum v. c. tribus lineis privari, et, hoc non impediente, triangulum manere.

Atque haec sunt argumenta in Phaedone dialogo exposita. Sed nos, quandoquidem in Platonis sententiâ explicandâ versamur, qui et alibi frequentissime de animorum immortalitaté ex vulgari opinione disseruit, et subtiliorem quandam rationem in Phaedro dialogo prodidit, quam in Phaedone ut exploratam posuit leviterque tetigit; facere non possumus, quin eam memoremus. Nam et Ciceroni adeo illa ratio placuit, ut eam libro sexto de Republicâ referret, et alibi repeteret, eandemque egregiâ laude ornaret, his verbis : *Licet concurrant omnes plebeji philosophi (sic enim hi, qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur) non modo nihil umquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum, quam subtiliter conclusum sit, intelligent.* Vos ipsum argumentum copiosâ oratione enarratum legatis vel apud ipsum Platonem in Phaedro, vel apud Ciceronem, vel apud Macrobium in Commentario in Somnium Scipionis. Ego quidem et brevitati et perspicuitati consuluisse videbor, si ejus argumenti vim ac sententiam ad syllogismi formam revocavero. Quae quidem ejusmodi est. « Quod se ipsum movet, aeternum est : » animus se ipse movet; ergo aeternus est. Assumtionem quidem, quâ dicitur *animus se ipse movere*, nemo facile in dubium vocaverit, qui quidem animi libertatem tueri velit. Propositionem vero ita probat Plato : Quod se ipsum movet, princi-

pium est, animus se ipse movet, ergo principium est. Pergit porro, Principii ea est natura, ut nullam habeat originem; Animus est principium; ergo, nullam habet originem. Concludit tandem argumentum. Quod originem non habet, illud nec finem habebit; animus non habet originem; ergo, nec finem habebit. Dicatis, plus effectum esse hac argumentatione, quam quantum exspectaverimus. Nam, quum illud unum spectaremus *animum non habere finem;* ex abundanti hoc etiam apparuit, animum nullum habuisse initium. Et Plato quidem ipse sibi satis constat: quippe qui Pythagorae sententiam sequebatur, animos veluti partes esse aeterni illius principii, nimirum Dei. Nos vero, qui hac in parte auctoritatem Platonis deseVrimus, hoc tamen ex ejus argumentatione probamus ac tenemus, *animum non esse corporeae naturae*, si quidem ipse suarum actionum principium et libertate praeditus est. Nam quum in corporibus mutationes existant, certis legibus ponderis ac motûs, et fere necessitate machinae; animus, si quidem sit corporeus, quam partem libertatis habeat, intelligi nequit.

Cognovistis, A. H., rationes Platonis: quarum ut nonnullas repudiavimus, ita plerisque tantam tribuimus probabilitatem, quantam multis rebus, de quibus nemo dubitat. Ecquid igitur hae rationes apud vos valuerunt ad animi persuasionem? Ecquid habuerunt ponderis ac momenti ad eam sententiam in mentibus vestris defigendam atque stabiliendam? Ecquid ipsi sensu tacito apud vos animadvertitis, aliquantum vos profecisse ad

firmitatem scientiae de animorum immortalitate? An vero etiamnunc aliquid requiritis, et quaedam dubitatio in mentibus vestris residet? Vidit ipse Plato quam difficilis esset hujus sententiae persuasio. Nam Simmias, confectâ demonstratione, quamquam non haberet quod reprehenderet, tamen nescio quid scrupuli in mente retinebat: et Socrates fatebatur, non nisi longi temporis meditatione eam ad firmum mentis assensum perduci posse. Cicero quoque, qui de Platonis Phaedone ita judicavit, ut argumenti demonstrationem in eo confectam absolutamque esse pronunciaret: quum ita esset adhortatus discipulum: *Evolve diligenter Platonis librum, qui est de animo: amplius quod desideres nihil erit:* igitur Cicero discipulum ita respondentem inducit: *Feci, me Hercule, et quidem saepius: sed nescio quomodo, dum lego, assentior: cum posui librum, et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, adsensio illa omnis elabitur.* Et vereor ne hodieque multi sint, qui cum in Platonis, tum in sequentium philosophorum argumentis non acquiescant, quamquam, quid in iis reprehendant vitii, non inveniant. Cujus rei duas reperiemus causas easque verissimas. Prima posita est in discrimine metaphysicae ac mathematicae evidentiae, de quo alibi et dicimus et diximus. Nam Metaphysica, ut res maximi momenti tractat, ita plerisque quidem magnam evidentiam, paucis vero Mathematicam vim adjungit. Quare qui a metaphysico eandem exigit demonstrationis vim atque a mathematico, is simul et imperite et inique agat,

Altera causa est, quod notio simplicis animi naturae et ejus immortalitatis penitus a sensuum judicio remota est; unde fit, ut, quamquam in hac doctrinâ sint quaedam argumenta mathematicae necessitatis, tamen eorum vis et evidentia a plerisque non percipiatur. Ita enim plerique instituti sumus, ut mente quidquam intelligere, nisi sub corporeâ specie, non possimus. Igitur quum de Deo, vel animo, vel aliis rebus incorporeis cogitamus, semper se cogitationibus nostris ingerit quaedam vel soliditatis, vel extensionis, vel figurae imago, quae veri indagationem turbat. Et quum demonstrationibus assensi sumus, nescio quomodo earum vis paulatim ex mente evanescit: praesto sunt sensus eorumque vicaria Phantasia, qui mentem concretarum rerum imaginibus occupant, et a simplici naturâ ad corpoream rejiciunt. Est vero hoc praecipuum philosophi munus, cogitationem a rebus adspectabilibus ad intelligibiles convertere, a sensibus ad rationem traducere. Neque hoc unius Platonis est praeceptum; sed est et Aristotelis et Hippocratis; et summorum omnis aevi philosophorum auctoritate, et ipsius rei veritate confirmata sententia. — Quare suscipiamus illam exercitationem animi a sensibus ad intellectum revocandi. Quâ profecto exercitatione proficiemus non modo ad rerum abditarum perspicientiam, sed etiam ad rerum fluxarum et voluptatum despicientiam et ad animi altitudinem; quibus in virtutibus verissimus idemque longe omnium uberrimus cernitur philosophiae fructus.

Itaque, A. H., solvi nomen, quod apud vos

contraxeram, et quinque lectionibus vobis exhibui Platonis, et qui ante illum fuerunt philosophorum, sententias, et omnino historiam placiti *De immortalitate animorum.* — Reliquum est, ut et rogem Vos, velitis meam operam aequi bonique consulere, et ipse vestris me studiis commendem.

ANNOTATIO.

Quandoquidem Wyttenbachius verissime scripsit, nullam in omni philosophiâ esse partem, quam doctrina *De Divinâ Naturâ* et *Animorum Immortalitate* non longo post se intervallo relinquat; non video, unde potius initium hujus Annotationis ducam, quam ab ipsius Wyttenbachii verbis, quibus vim ac praestantiam utriusque hujus loci commendavit.

Igitur de Divinâ Naturâ legimus in Disputatione ipsius a Curat. Stolp. anno 1779 praemio condecoratâ, pag. 1: *Quae potest excogitari major graviorque doctrina, quam ea, quae in Divinae Naturae explicatione versatur? Haec una inter omnes eminet, atque altissimâ veluti arce reposita est: haec mentis nostrae cogitationem a rerum humanarum fragilitate ac terrenâ faece abducit, supra astra evehit, et ad contemplationem convertit ejus naturae, quae caussam atque fontem hujus universi continet: haec cum aliis disciplinis, tum iis maxime, quibus nostra nititur felicitas, quae ad vitam morumque rationem et virtutis studium pertinent, robur ac firmamentum adjungit.*

Tum vero *De Animorum Immortalitate* in Disputat. a Curat. Leg. Teyler. Anno 1783 item praemio ornatâ, pag. 1, ita scripsit: *Nulla facile est res, quae mentem humanam aut pro-*

prius attingat, aut vehementius commoveat, quam cogitatio de ipsius post hanc vitam conditione et statu. Nam, et praecipuum ac proprium hominis est, non brutorum instar praesentibus moveri, sed in futurum prospicere, ac res absentes mentis cogitatione repraesentare: et habet rerum obscuritas eam vim, ut mentem incertâ rerum exspectatione sollicitet ac suspensum teneat. Igitur reperiemus, inde ab incunabulis studii philosophici, ita quemque philosophum plus operae in hoc loco tractando posuisse, ut quisque aut humanae naturae, aut philosophiae majorem excellentiam tribuisset.

P. 2. *Sallustius*) in B. Cat. c. 1.

Ille opifex) cum hoc Ovidii loco, Met. I. 79, conferri merentur, Cic. De Leg. 1 c. 7–9 : De N. D. II, 56 : atque Lactant. J. D. II, c. 1.

P. 3. *Quid vocemus* mori) Plato, p. 313 A. edit. Fic. : Aristot., De Respir. c. XVI et XVII : Cic. Tusc. Qu. 1, c. 9.

P. 4. *Atque — alio tempore exponemus*) Hoc fecit W. in Scholis Metaphysicis, quarum partem, quatenus *ad animi simplicem naturam et immortalitatem* spectat, edi curavit in Prolegomenis ad Platonis *Phaedonem* a pag. XLIX ad pag. LXIII.

Magnum est momentum historicae cognitionis) Recte judicat *J. M. Gesnerus* in Isag. T. I, p. 112, scribens: *Sine philosophiae historia non potest recte disci philosophia ipsa, et, qui vult discere philosophiam, debet is incipere ab illius historiâ.* Conf., quae idem vir doctus dixit T. II, p. 7.

P. 5. *Philosophiam alii*) De inventione et origine philosophiae diversas fuisse Veterum opiniones, cum aliunde constat, tum ex D. Laërtio in Prooemio, et Animadv. Menagii ad illum loc., nec non ex Polyd. Virgilio Urb. De Rer. Invent., L. 1, c. 16.

Ut verissime dixit Plato) Cic. Ac. Qu. 1, c. 2. *Totum illud philosophiae studium mihi quidem ipse sumo, et ad vitae constantiam, quantum possum, et ad delectationem animi: nec ullum arbitror, ut apud Platonem est, majus aut melius a Diis datum munus*

homini. Et Tusc. Qu. I, c. 26: *Philosophia vero, omnium mater artium, quid est aliud, nisi ut Plato ait, donum, ut ego, inventum Deorum?*

P. 7. *Herodoto*) Lib. II, p. 162, ed. Wess.

Scythas caet.) Getas v. c. statuisse, *animos hominum immortales esse*, disertis verbis testatur Herodot. Lib. IV, p. 323: eique addatur Diod. Sic., tom. I, p. 105 ed. Wess.

P. 8. *Cascos*) Cic. Tusc. Qu. I, c. 12.

Indos) Cic. de Div. I., c. 23, *Calanus Indus, cum adscenderet in rogum ardentem, O praeclarum discessum, inquit, e vitâ! cum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit.* Vid. Wess. ad D. Sic., tom. II, p. 244.

Caesar) De B. G. VI, c. 14.

Lucanus) Phars., L. I, p. 447.

P. 9. *Cicero*) Tusc. Qu. I, 13-15.

Igneus est) Virg. A. VI, 730. Conf. Wytt. ad Plut. de S. N. Vind. p. 169, ed. Oxon. in-4.° (p. 35, ed. Lugd. Bat. in-8.°)

P. 10. *Utque novis*) Ovid. Met. XV, 168.

Huc accedebat) Homini tuitionem et conservationem sui innatam esse, praeter alios, docent Cic. de Off. I. 4, et Sen. Ep. 121, p. 667. D. ed. J. Lips.

Nam quum mors abstulisset) Egregius sane quam locus est Antiphanis apud Jo. Stob. S. CXXIII, p. 615:

Πενθεῖν δὲ μετρίως τοὺς προσήκοντας φίλους·
Οὐ γὰρ τεθνᾶσιν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδὸν,
Ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον,
Προεληλύθασιν· εἶτα χ' ἡμεῖς ὕστερον,
Εἰς ταὐτὸ καταγώγιον αὐτοῖς ἥξομεν,
Κοινῇ τὸν ἄλλον συνδιατρίψοντες χρόνον.

h. e.

Lugendi sunt moderate conjuncti nobis olim amici:
Non enim mortui sunt, verum eamdem viam,
Quam ingredi omnibus necessarium est,
Praeiverunt: deinde nos etiam postea
In idem deversorium cum ipsis veniemus,
Conjunctim reliquum una acturi tempus.

P. 11. *Cum antiquissimis*) Testatur Cic. de Divin. I., c. 1, *Gentem nullam, neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamque barbaram fuisse, quae non significari futura, et a quibusdam intelligi, praedicique posse censeret.* Hinc a callidis hominibus varia divinationum genera inventa sunt: inque iis etiam ἡ ὀνειροκριτική. Nam non modo plebs ac vulgus hominum, at vero etiam sapientissimi alioquin viri saepissime per somnia futurarum rerum praesagitionem dari crediderunt. Igitur istius divinationis patrocinium suscepit Quintus Cicero, De Divin. lib. 1 a cap. 20 ad 32. Frater vero Marcus ostendit lib. 2 a cap. 58 ad finem libri usque, somnia neque esse divina, neque esse posse. Conf. Kuhn. ad Ael. V. H. III, c. 11.

Porro ita fieri necesse erat) Cic., Somn. Scip., c. 1, *Me et de viâ, et qui ad multam noctem vigilassem, arctior, quam solebat, somnus complexus est. Hic mihi* (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti: fit enim fere, ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare, et loqui) *Africanus se ostendit* caet. Ad quem locum cff. interpretes. — Praeterea canit Claudianus in Praefat. VI. Cons. Honorii Aug., p. m. 472

Omnia quae sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.

Quem locum *Barthius* in Adv. L. 51, cap. 3 comparat cum hoc epigrammate Petronii T. 1, pag. 626:

Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deûm, nec ab aethere Numina mittunt,
Sed sibi quisque facit. Nam, quum prostrata sopore
Urget membra quies, et mens sine pondere ludit,
Quidquid luce fuit, tenebris agat. Oppida bello
Qui quatit, et flammis miserandas saevit in urbes,
Tela videt, versasque acies, et funera regum,
Atque exundantes perfuso sanguine campos.
Qui causas orare solent, legesque, forumque,
Et pavido cernunt inclusum corde tribunal.
Condit avarus opes, defossumque invenit aurum.

Venator saltus canibus quatit. Eripit undis,
Aut premit, eversam periturus navita puppim.
Scribit amatori meretrix. Dat adultera munus.
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

Qui nondum ea) Cic. Tusc. Qu. I, 13.

Lucretius) Lib. III, 53.

Cum superstitione tollit religionem) Contra praeceptum Ciceronis, qui, De Div. L. II, c. 72, *Nec vero*, inquit, (*id enim diligenter intelligi volo*) *superstitione tollendâ religio tollitur.— Quamobrem, ut religio propaganda etiam est, quae est juncta cum cognitione naturae: sic superstitionis stirpes omnes ejiciendae.* Et de Nat. Deor. L. II, c. 28, *Cultus*, ait, *Deorum est optimus, idemque castissimus atque sanctissimus plenusque pietatis; ut eos semper purâ, integrâ, incorruptâ et mente et voce veneremur. Non enim solum philosophi, verum etiam majores nostri superstitionem a religione seperaverunt.*

P. 12. *Et metus ille*) Lib. III, 37.

Quasi membranae) Lib. IV, 35.

Et nebula) Lib. III, 437. Wytt. ad Plut. de S. N. V., pag. 196 edit. Oxon. in-4.° (p. 80 edit. Lug. Bat. 8).

Omnis etiam) Lib. I, 57.

P. 13. *Cerberum*) Cic. Tusc. Qu. I. 5: M. *Dic, quaeso, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acheruntis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus? num illud, quod Sisyphus versat*, saxum sudans nitendo, neque proficit hilum? Att. *Adeone me delirare censes, ut ista esse credam?* — De Chorographiâ Orci et fluminibus Inferorum egit e recentioribus *Heijnius* ad Virg. Aen. L. VI Exc. 8 et 9.

Soleo saepe mirari) Cic. Tusc. Qu. I, c. 21: Wytt. ad Plut. de S. N. V., p. 207. ed. Oxon., (p. 100 ed. L. B.)

P. 14. *Neque etiam recens — gubernet*) Cic. de N. D. I, c. 36: *At eas vituperabas, qui et operibus magnificis atque*

praeclaris, cum ipsum mundum, cum ejus membra, coelum, terras, maria, cumque horum insignia, solem, lunam, stellasque vidissent, cumque temporum maturitates, mutationes, vicissitudinesque cognovissent, suspicati essent aliquam, excellentem esse praestantemque naturam, quae haec fecisset, moveret, regeret, gubernaret. Et lib. II, c. 2: *Ne egere quidem videtur oratione prima pars. Quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum coelum suspeximus coelestiaque contemplati sumus; quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? — Quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit.* — Lact. J. D. I., c. 2, § 5: *Nemo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in coelum tollens, tametsi nesciat, cujus Dei providentiâ regatur hoc omne, quod cernitur; aliquam tamen esse intelligat ex ipsâ rerum magnitudine, motu, dispositione, constantiâ, utilitate, pulchritudine, temperatione; nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio majori aliquo sit instructum.*

Nullam facile gentem tam feram) Cic. Tusc. Qu. I., c. 13: *Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis parva sentiunt. Id enim vitioso more effici solet. Omnes tamen* esse vim et naturam divinam *arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium* lex naturae *putanda est.* — De Leg. I., c. 8: *Itaque ex tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.* — Sen. Ep. CXVIII, p. 655 c.: *Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio in-*

sita est : nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat. Praeterea inter illa, quae apud omnes gentes recepta sint, merito hoc primum ponit Artemid. Oneir. I., c. 9, *Deos esse ac religioso cultu illos ab hominibus coli debere*, et deinde non praeter rationem addit, οὐδὲν ἔθνος ἀνθρώπων ἄθεον, ἄλλοι δὲ ἄλλως τιμῶσι θεούς. *Nulla gens est, quae Deos non agnoscat, sed alii aliter Deos colunt.*

P. 15. *Theophrastus*) Cic. Tusc. Qu. III, 28.

P. 16. *Ultra mortis terminum*) Wytt. ad Plut. de S. N. V., p. 195 ed. Oxon., (p. 78 edit. Lugd. Bat.) *Cum multa*, inquit, *sint pro animae immortalitate argumenta, tum hoc inprimis pulchrum atque evidens est, quod a virtutibus Divinis ducitur. Si enim rerum haec universitas a Deo procreata est, ut est profecto; ejus certe sapientiam non decet animam in easdem cum corpore spatii includere angustias : quin ut ipsa corpore praestantior est, ita ejus curriculum ultra hujus vitae fines extensum debet esse.*

Atque continuaret.) Sublatâ enim immortalitatis spe, de generis humani salute actum fore, *Prudentius* contra Symmachum L. II, 161, his versibus declarat :

Si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quidquam;
Quis mihi regnator coeli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quae jam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus.
Incessabo thoros, sacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum, tenues avidus spoliabo clientes.
Longaevam perimam magico cantamine matrem.

Eo tamen simus animo) Cic. Tusc. Qu. I., c. 49. — Sen. Epist., 102, p. 622, B. *Magna et generosa res est humanus animus: nullos sibi poni nisi communes et cum Deo terminos patitur. Primum, humilem non accipit patriam, Ephesum aut Alexandriam, aut si quod est etiamnum frequentius incolis, latius tectis*

solum. Illi patria est, quodcunque suprema et universa circuitu suo cingit : hoc omne convexum, intra quod jacent maria cum terris, intra quod aër humanis divina secernens etiam conjungit, intra quod disposita tot Numina in actus suos excubant. Deinde arctam aetatem sibi dari non sinit. Omnes, inquit, anni mei sunt : nullum saeculum magnis ingeniis clusum est : nullum non cogitationi pervium tempus. Cum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hoc, ubi inveni, relinquam : ipse me Diis reddam. Nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque detineor. Per has mortalis aevi moras, illi meliori vitae longiorique proluditur. — Alia origo nos exspectat, alius rerum status. Nondum coelum, nisi ex intervallo, pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice : non est animo suprema, sed corpori.

P. 17. *Bonis male*) Cic. de Nat. Deor. III, c. 32 : *Nam si curent, bene bonis sit, male malis ; quod nunc abest.*

P. 18. *Providentiae opinionem abjecisse*). Huc pertinent loca Ovidii et Claudiani. Prior canit Amor. L. III, El. 9, v. 35 :

Cum rapiant mala fata bonos, (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Posterioris verba magis nota sunt e lib. I, in Rufinum :

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quaesissem foedera mundi,
Praescriptosque mari fines, annisque meatus,
Et lucis noctisque vices : tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phoeben alieno jusserit igni
Compleri, Solemque suo : porrexerit undis
Littora : tellurem medio libraverit axe.
Sed quum res hominum tantâ caligine volvi
Adspicerem, laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios ; rursus labefacta cadebat

Religio, causaeque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quae currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortunâ, non arte, regi: quae Numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum,
Absolvitque Deos. Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror. Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Conf. Cudw. in Syst. Int., T. II, p. 575. —

Tunc diu Baccho) Cujusnam poëtae hi versus sint, nescio. Et quoniam hucusque eorum auctorem frustra quaesivi, aliis ipsum indagandum relinquo.

P. 19. *Sylvestres*) Hor. A. Poët. 391.

Fuit haec) l. l. 397.

Dardanus) Hic, secundum Simsonium in Chron. p. 154, floruit circa A. M. 2526, ante Chr. 1477. De origine ejus dissentiunt veteres, ut constat ex Virg. Aen. III. 167, VII 207, et D. Sic. V., c. 48. Conf. Heynius ad Virg. L. III. Exc. VI, p. 434. Caeterum vero in eo consentiunt scriptores antiqui, ipsum mysteria in Samothraciâ jam dudum antea usitata ad certam religionis rationem revocasse, deinde in Asiam transfretasse, ibique urbem Dardanum condidisse. — Hujus autem migrationis causam referunt Eusth. ad Hom. Il. Υ, p. 1204 edit. Rom., pag. vero 1280 edit. Basil., et Schol. Hom. lib. laud. v. 219, dicentes, *Dardanum fugisse diluvium Deucalionis, et in Idam Trojae montem concessisse.* Vid. Simson. l. l., pag. 156.

Ab Orpheo) Inter istos referendus est Diod. Sic., qui L. I, c. 96 scripsit, Ὀρφέα μὲν γὰρ τῶν μυστικῶν τελετῶν τὰ πλεῖστα — ἀπενέγκασθαι. *Nam Orpheum plerosque mysteriorum ritus* (ex Aegypto) *absportasse.* Et L. v., c. 64; Καθ᾽ ὃν δὴ χρόνον καὶ Ὀρφέα — πρῶτον εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν τελετὰς καὶ μυστήρια. *Illo sane tempore Orpheum — primum in Graeciam intulisse initiorum caeremonias et mysteria.*

Minoëm — Aeacum — Rhadamanthum). De his ju-

dicibus inferorum legatur locus Platonis in Gorg. p. 312 E., et apud Plut. in Consol. ad Apollon., c. 36, h. e., Vol. 1, p. 332 edit. Wytt. in-4.° : et ex hodiernis viris doctis *Heijnius* ad Virg. Aen. Lib. VI. Exc. 10.

P. 20. *Livius*) L. 1, c. 20.

Plutarchus) in Num. Pompil., p. 65 et 67 E.

Quae quidem jura) Cic. de Amic., c. 4 : *Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt : quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur.* Cf. Tusc. Quaest. I. 12, et de Leg. II, 19.

Incantatores) Sic v. c. testatur Pindarus Pyth. Od. III, 3, 91, ipsum Aesculapium vulneratos et morbidos sanasse μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς *mollibus incantationibus.* Apud Seren. Sammon., c. 52, agitur de Hemitritaeo per *Abracadabra* depellendo. Plura exempla suppeditat Lucian., T. III, p. 39 et seqq. Operae pretium est legere animadversionem Moshemii ad Cudw. Syst. Int., T. II, p. 153.

Deceperunt) Recte igitur monuit Cic. de Divin. II, c. 3 *ad aegros non vates, aut hariolos, sed medicos* adduci solere.

Aesculapio) Diod. Sic., T. 1, p. 315 edit. Wess.

P. 21. *Hinc ille Orphei descensus*) De *Orpheo* vid. Virgil. Georg. IV, 454, et Ovid. Met. L. X ab init. — De *Hercule* et *Theseo* legantur scriptores a Meursio citati in Theseo c. 28, h. e. Oper. Tom. 1, pag. 996.

Hinc illa ψυχοπομπεῖα) Istiusmodi loca, ubi animae defunctorum, ex inferis sedibus evocatae sacrificiis, responsa de futuris rebus dabant consulentibus, erant v. c. *Heracleae, Terinae*, in *Thesprotide*, in promontorio *Taenaro* et alibi. Vocabantur autem modo ψυχοπομπεῖα, exemplo Plut. de S. N. V., p. 40 et p. 71 ed. Wytt. Lugd. Bat.; — modo ψυχομαντεῖα, argumento Cic. Tusc. Quaest. I. 48 et de Divin. I. 58, nec non Plut. in Consol. ad Apoll. p. 109, ad quem loc. vid. Wytt.; — modo νεκυμάντια, vel νεκυομαντεῖα, testibus Strab. p. 244 et Pausan. p. 769, aut Ion. νεκυομαντήϊα, uti constat ex Herodoto V. c. 7, ubi conf. Valck.; — modo ψυχαγώγια. Ait enim Etym. M. ψυχα-

γῦγιον ὄνομα τόπου, ἐφ᾽ οὗ οἱ μάντεις ἀπὸ ψυχῶν μαντευόμενοι ἀναφέρουσι τὰς ψυχὰς τῶν νέκρων. — Porro, qui defunctorum animas ciebant *ψυχοπομποὶ* vel *ψυχαγωγοὶ* appellabantur : de quibus vid. Wessel. ad Diod. Sic. T. 1, p. 108.

Studiosius conjectamur res abditas) Sen. Epist. 68 : *Multi aperta transeunt, condita et abstrusa rimantur.* — Atque alibi, *Acrior*, inquit, *est cupiditas nova cognoscendi, quam nota repetendi : ad nova homines concurrunt, adeo ut quidquid insolitum est in turba, etiam notabile est.*

Suedenborgius) Fuit hic *Emmanuel Suedenborgius* vir quidem doctus, sed simul etiam homo fanaticus. Patriam habuit Holmiam, Sueciae metropolin, ubi anno 1689 natus est. Peragratis multis Europae regionibus, in patriam reversus, Upsalae domicilium sibi fixit, ac scriptis suis inclarescere coepit. Sed postea patriam denuo reliquit, quamvis in illâ honorificis muneribus fungeretur, et modo hic, modo illic commoratus est, potissimum vero in Angliâ, ubi tandem Londini, octogenario major, apoplexiâ correptus, diem supremum obiit anno 1772. Vid. Saxius in Oxon. T. VI, p. 356, et opus Germanice scriptum, cui titulus est *Conversations-Lexicon* Tom. IX, p. 675. —

P. 24. *Aristotelem dubitasse*) Arg. Cic. de N. D. I. 38 : quem locum viri docti diversis rationibus explicare studuerunt. Conf. Tiedemannus in libro Germanice scripto *De primis Graeciae Philosophis*, p. 30, Wyttenb. *Bibl. Crit.*, P. VI, p. 81, et Creuzerus ad *Cic. l. l.*

Frequenter ejus mentionem facit) An in scriptis Aristotelis, quae aetatem tulerunt, frequens mentio Orphei et Orphicae disciplinae exstet, valde dubitem. Hucusque non nisi duo loca inveni. Prior legitur in illo suspectae fidei libello *De Mundo* c. 7 : posterior L. 1 *De Anima* c. 7. Verum loquitur Aristoteles aliquoties (veluti *in Metaphys.* I, c. 3; III, c. 4; XIV, c. 6 et 8), de antiquis *Theologis*. Et quum vix dubitandum sit, quin nomine *antiquorum theologorum* inprimis Orphicos intellexerit; Wyttenbachium haec quoque loca respexisse opinor. — Caeterum vero,

quod Clar. Tiedemannus lib. laud., p. 38 dicit, *Aristoteles ulterius etiam progreditur, et carmina Orphica, sine ullâ exceptione, καλούμενα vocat*, non satis firmo argumento niti mihi videtur. Lectio enim loci, (de An. I, c. 5, vel secundum alias editiones cap. 7) quo Tiedemannus pro testimonio utitur, incerta est. Nam in aliis quidem editionibus legitur ὁ ἐν Ὀρφικοῖς καλουμένοις ἔπεσι λόγος, in aliis vero, v. c. Basil. 1539 et 1550 in fol., illud καλουμένοις plane non exstat. Atque in edit. *Du Vallii* T. 11, p. 16 E legimus ὁ καλούμενος λόγος. Praeterea altero illo loco *De Mundo* T. 1, p. 866 C simpliciter dicitur, ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς εὖ κακῶς λέγεται.

P. 25. *Mysteriis explicitis*) Cic. de N. D. I. 42.

Quamquam philosophiae nomen) Interior rerum doctrina antiquitus a Graecis σοφία appellabatur: at vero Pythagoras illud nomen in φιλοσοφίας mutavit, locuplete teste Cicerone Tusc. Qu., V. 3. Clarissimum enim *Meinersium*, qui hujus nominis inventorem non Pythagoram, sed Socratem fuisse contendit, docte refutavit Wytt. Bibl. Crit, P. VIII, p. 118.

De Oraculorum defectu) T. 11, p. 436 B. Sed praeterea conf. Stob. Ecl. Phys. L. 1, p. 41 ed. Heeren., Appulejus de Mundo, T. 11, p. 372 edit. *Io. Bosschae*, et Wytt. in Disput. Stolp. de Unit. Dei, p. 7.

P. 26. *Statuebant post mortem*) De illo dogmate, quo nonnulli philosophi statuebant, *animas post fata corpori cuidam subtiliori alligatas manere*, legatur Cudw. in Syst. Intell. T. II, p. 379 et seqq., atque Wytt. in Disput. Teyler. de Imm. Anim., p. XIV.

P. 27. *Cicero*) Tusc. Quaest. I., c. 16 et 17.

P. 28. *Erant enim poëtae ii*) Cic. Tusc. Quaest. I. 1. *Apud Graecos antiquissimum fuit e doctis genus poëtarum.*

P. 29. *Deum ex machina adducebat*) De hac proverbiali locutione egit Erasm. in Adag. p. m. 591.

Ut Cicero ait) Tusc. Quaest. I. 16. Cf. Tiedemannus lib. I, p. 148.

Pherecydes et Epimenides) Diog. Laërt. I., § 109-122.

P. 30. *Maximus Tyrius*) Dissert. XVI, p. 175.

Athenas arcessitus) Plut. in Sol. p. 84.

Paulus apostolus) In Act. Apost. XVII 23, ad quem loc. vid. docti interpretes, et Menag. ad D. Laërt. I., § 110.

P. 31. *Statuisset aquam*) Cic. de N. D. I. 10. Conf. Gedikius in Hist. Philos. Ant., p. 40.

Diogenem Laërtium) I., § 24.

Teste Cicerone) De Leg. II, c. II Add. Aristot. de An. lib. I, c. 8, ubi legitur: Θαλῆς ᾤηθη πάντα πλήρη θεῶν εἶναι. Stob. Ecl. Phys., T. I, p. 55 ed. Heeren.

Φύσιν ἀεὶ κινητὸν) Wytt. in Disput. Teyler. de Immort. Anim., p. VI.

P. 32. *Leibnitianam*) In Theodiceâ T. II, p. m. 651 a Leibnitio vocatur anima humana *spirituale quoddam automatum.*

Plutarchi verba) T. 11, p. 163 E edit. Xyl., Vol 1, p. 456 edit. Oxon. in-4.°

P. 33. *Sed veniamus ad* Pythagoram) Vid. Wytt. in Disput. de Immort. Anim., p. XII, et Gedikius in Hist. Philos. Ant., pag. 47.

P. 34. *Lactantii interpretationem*) Inst. Div. l. 5, § 17, cui addatur Cic. de N. D. I, c. 11, et Davis. ad illum locum.

P. 35. *Ovidium*) Met. XV, 152.

P. 36. *Alcmaeon*) Diog. Laërt. VIII, 83, et Wytt. l. l. p. XIX.

Evulgare) Jambl. V. Pyth. § 88, Fabr. B. Gr. Vol. 1, pag. 505, et Brucker. in Hist. Philos. T. I, p. 1135.

De quatuor elementis) Lucret. I. 715, et Plut. de Plac. Philos. L. 1, c. 3.

Et Deum esse ignem) In eo etiam Stoici Heraclitum secuti sunt, ut statuerent, Deum esse ignem, subtiliorem scilicet ac ratione praeditum. Leg. Cic. Acad. Quaest. I, c. 11, Plut. de Plac. Philos. L. 1, c. VII et Stob. Ecl. Phys. p. 58 et 64 edit. Heeren.

Conflagraturum) De hac ἐκπυρώσεως sententiâ legantur scriptores a clar. *Creuzero* citati ad Cic. de N. D. II, c. 46, et Philo Jud. p. m. 938 et seqq., h. e. in libro περὶ ἀφθαρσίας κόσμου. —

Restauratum iri) D. Laërt. VII, § 141, Menag. ad l. l. et Seneca in Cons. ad Marciam c. 26, in Nat. Quaest. III,

c. 30; Davisius ad Cic. l. I. — Quam restaurationem Stoici ἀποκατάστασιν τοῦ παντὸς vocant.

Timaeum Locrum) Wytt. Disput. de Immort. Anim., p. XXIII.

P. 39. *Empedoclis*) Wytt. l. l., pag. XX.

Insula quem Triquetris) Lucret. I. 718.

Aristoteles tradit) De An. I, c. 2.

Cicero memorat) Tusc. Qu. I, 9.

P. 40. *Cudworthum*) Lib. laud. T. 1, p. 38 et seqq.

Animos hominum ait esse daemones) Leg. Cudw. in Syst. Intell., T. I, a pag. 38 ad pag. 46.

Apud Athenaeum) Lib. VIII in fine legimus: Φησὶ γὰρ ὁ Φυσικός·

> Ἤδη γὰρ ποτ᾽ ἐγὼ γενόμην κούρη τε κόρος τε,
> Θάμνος τ᾽, οἰωνός τ᾽, καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπνοος ἰχθύς.

Posteriorem vero versum alii scriptores aliter citant. Clem. Alex. v. c. Lib. VI Strom., c. 2 exhibet hunc versum sic:

> Θάμνος τ᾽, οἰωνός τε, καὶ εἰν ἁλὶ ἔλλοπος ἰχθύς.

Quam lectionem secutus est H. Steph. in Poësi Philos., p. 24, ad quem locum Wyttenbachius adscripsit in suo exemplari, quod nunc penes me est, « *Vid. Olympiodorus in Comment. ad Phaedonem Mss. III, p.* 29 ». De Olympiodori vero Codd. Acad. Lugd. Bat., quibus usus est Wytt. in adornando Platonis Phaedone, vide ipsum in Annot. ad Plat. Phaed. p. 101. — Plura de his Empedoclis versibus peti possunt ex Animadv. Moshemii ad Cudw. T. II, p. 420; Schweighaeuseri ad Athen. T. IX, p. 688; et Menagii ad D. Laërt. VII, § 77.

Plutarchus affert) De *Exilio* T. 11, p. 607 edit. Gr. Lat.; vol. III, p. 306 edit. Wytt. in-4.° — Caeterum pro *triginta annorum* legitur in Plut. *triginta horarum.* At tenendum est, temporibus Empedoclis vocabulum Graecum ὥραν minime significasse *vicesimam quartam civilis diei partem*, quam Latini *horam* vocant. *Certum est,* sunt verba Casauboni ad Ath. L. I, c. 1, p. 5, *Platonis, Aristotelis, et aequalium saeculo, neque aliquanto post tempore has diei partes, quas* horas *vocamus, fuisse in usu. Quare vocabulum* ὥρα *in antiquorum scriptis illâ notione legi non potuit.*

P. 41. *Xenophanes*) Conf. D. Laërt. IX, § 18-21 : Cudw. Syst. Int. T. I, p. 580 : Bruck Hist. Phil., Tom. I, p. 1166 : Wyttenb. de Immort. An., p. XXVIII.

Animum dixit esse πνεῦμα) D. Laërt. IX, §. 19 : ad quem locum vid. *Aldobrand.* —

Parmenides) Hic, teste D. Laërt. IX 22, duplicem statuebat philosophiam, alteram interiorem, quam vocabat τὴν κατὰ ἀλήθειαν : alteram exteriorem, τὴν κατὰ δόξαν. Ex illâ autem interiore doctrinâ Parmenidis desumta sunt ea, quae explicuit Plato in duobus illis dialogis, quorum alterum *Parmenidem* s. de Ideis, alterum *Theaetetum* s. de Scientiâ vocavit.

Sed nos, quid senserit de animo, videamus) Vid. Wytt. de Immort. Anim., p. XXIX, et D. Laërt. l. l.

P. 42. Νοῦν *et* ψυχὴν) Leg. Wytt. in Proleg. ad Plat. Phaed., pag. XLVI.

Refert Laërtius) L. VIII, § 28.

Cecinit Horatius) Lib. II, Sat. II, 77.

P. 43. *Nearchum*) Cic. Tusc. Qu. II, c. 22, De Nat. Deor. III, 33 et Menag. ad D. Laërt. IX, 26.

Exstat apud Laërtium) Lib. IX, 29. Conf. Wytt. de Immort. Anim., p. XXX.

Leucippus) Diog. Laërt. IX, 30-33 : Wytt. l. l. p. XXX.

Hic — septuaginta circiter libros conscripsit) Nomina scriptorum Democriti exstant apud D. Laërt. IX, § 46, sed pleniorem indicem eorum fecit Fabr. B. Gr., Vol. I, p. 803 et seqq.

P. 44. *Memorari ab Aristotele*) De Anim. L. I, c. 2, § 4 et 20. Vid. Wytt. l. l., p. XXXI—XXXIII.

P. 45. *Deinde Cicero negat*) Tusc. Qu. I, c. 11.

P. 46. *Lucretius*) III, 371.

Sextus Empiricus) Lib. IX adv. Math., p. m. 554.

P. 47. *Hinc Lucretius*) V. 1160—1196.

P. 48. *Nam cum pater ejus*) Patre mortuo, divisit Democritus hereditatem cum duobus fratribus, et pro suâ parte, uti testatur Demetrius apud D. Laërt. IX, § 36, ὑπὲρ ἑκατὸν τάλαντα *supra centum talenta* accepit.

In obscuro studiis vacavit) Val. Max. VIII c. 7, § 4;

Athenis autem compluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam et exercendam doctrinam conferens, ignotus illi urbi vixit : quod ipse in quodam volumine testatur. — Verba, quibus hoc ipse testatus est, leguntur apud D. Laërt. IX, 36 : Ἦλθον εἰς Ἀθήνας, καὶ οὔ τίς με ἔγνωκεν, *veni Athenas, et nemo me cognovit.*

Hinc Aegyptum etc.) Apud Clem. Alex. Strom. I, c. 15 et Euseb. Praep. Evang. X, c. 4 exstant ipsius verba, quibus affirmat, *se unum omnium plurimos homines, locos ac peregrinas regiones vidisse, et octoginta annos inter peregrinos versatum esse.*

Solebat Democritus) Haec traduntur a Luciano in Philospeude T. III, p. 59.

P. 49. *Ut ex Plutarcho*) De Plac. Philos. L. IV, c. 3.

Cyrillo) Contra Julian. L. I, p. 28. C.

P. 50. *Hippasum audiret*) Bruck. Hist. Phil. T. 1, p. 1136 et 1209.

In sylvis degeret) D. Laërt. IX, § 3.

P. 51. *An ex imbre etc.*) D. Laërt. l. l. εἰ δύναιντο ἐξ ἐπομβρίας αὐχμὸν ποιῆσαι;

Librum conscripsit De Naturâ Rerum) De inscriptione hujus libri dissentiunt veteres, ut docet Fabr. B. Gr. Vol. 1, p. 800. Fragmenta ejus exstant apud Plutarchum, Stobaeum et alios scriptores.

Heraclitus minime in iis ponendus est) Leg. Wytt. de Immort. Anim., p. XXXIV.

Ut est apud Sext. Empiricum) Contra Math. Lib. VII, p. 397 et 398.

P. 52. *Nos Plutarcho vindicavimus*) Ad Plut. de S. N. V., p. 129 edit. L. Bat. in-8.° —

Omnia constant igne et aquâ) Haec ab Hippocrate fusius explicantur Περὶ Διαίτης Lib. I, p. 340—343.

P. 54. *Hic Deum volebat*) Cic. de N. D. I. 10, *Thales Milesius — aquam dixit esse initium rerum; Deum autem, eam mentem, quae ex aquâ omnia fingeret.*

Illi aërem) Cic. l. l.

Anaxagoras) Quum priores philosophi Ionici in inda-

gandâ causâ materiali potissimum occupati fuissent, nec mentem s. causam efficientem a materiâ sejunxissent; Anaxagoras primus fuit, qui statueret, Deum esse infinitam mentem, quae per se ipsa moveatur, eumque mundo non infixum, sed omni terrenâ contagione liberum esse dixit. Vid. Davis. ad Cic. de N. D. I., c. 11.

Scriptor libri de Plac. Philos.) Lib. IV, c. 3, Οἱ δ' ἀπὸ Ἀναξαγόρου τὴν ψυχὴν ἀεροειδῆ ἔλεγόν τε, καὶ σῶμα.

Aristotelis verba) De Anim. L. I, c. 2.

P. 55. *Valckenarius*) Diatr. in Eurip. Reliq. c. VI: addatur Wytt. de Immort. Anim., p. IX.

Lampsacum concessit) Diog. Laërt. L. II, § 14.

Archelao et Diogene Apolloniate) Diog. Laërt. l. l., et Wytt. l. l., pag. XI.

P. 56. *Aristoteles dixerit*) De An. I., c. 2, § 29. Ὁρίζονται δὲ πάντες τὴν ψυχὴν τρισὶν, ὡς εἰπεῖν, κινήσει, αἰσθήσει, τῷ ἀσωμάτῳ.

Comoediae *nomine celebratam est*) De Comoediae inventore ipsi veteres non unum idemque sentiunt. *Epicharmum* vocat inventorem Theocritus Epigr. XVII, p. m. 301: *Susarionem* vero Clem. Alex. Stromm. L. 1, p. 113 edit. Sylb., et Marm. Arundell. p. 165. Plura de hoc dissensu peti possunt ex R. Bentleji Resp. ad Boyl. De Orig. Comoed., p. 108 et seqq.

Animus videt) Plut. T. 11, p. 336 B., Vol. II, p. 261 edit. Wytt. in-4.° legimus, Νοῦς ὁρῇ, καὶ νοῦς ἀκούει, τἆλλα δὲ τυφλὰ καὶ κωφὰ τυγχάνει λόγου δεόμενα. Ad quem loc. legatur Animadv. Wytt.

P. 57. *Lucretius*) Lib. III, 360. Conf. Wytt. ad Plut. de S. N. V. p. 95 edit. L. Bat. in-8.°

Plutarchus) Consol. ad Apollon., p. 110 A, Vol. 1, p. 305 edit. Wytt. in-4.°

Ciceronem) Tusc. Quaest. I, 20.

P. 58. *Cum esset Pythagoreus*) Cic. Tusc. Quaest. II, c. 10, *Veniat Aeschylus, non poëta solum, sed etiam Pythagoreus.*

Et Syracusis consenuit) Si quaerimus, cur Aeschylus Athenas reliquerit, diversas a veteribus causas referri vi-

demus. Apud Plut. in V. Cimonis p. 483. F. legimus, Aeschylum aegre tulisse, quod in certamine tragico a juvene Sophocle victus esset, in Siciliam abiisse, ibique mortuum esse. Vid. Auct. Vit. Aeschyli. —

P. 59. *Patres Ecclesiastici*) Quorum loca leguntur apud Wytt. in Disput. de Unit. Dei, pag. 15.

Hugo Grotius) In Excerpt. ex Trag. et Com. Gr. p. 149.

P. 60. *Veniet ille*) Grotius l. l., p. 145.

Felices nimis) Grot. l. l., p. 147.

P. 61. *Te voco*) Grot. l. l., p. 399; Valck. Diatr. Eurip., p. 39.

Supplices) Vs. 531.

Magno luuntur) Grot. l. l., 32[illegible]; Valck. l. l., p. 57.

P. 62. *Flebili sponsae*) L. IV, Od. II, 21.

Meno inscribitur) Pag. 16. G. edit. Ficini.

P. 63. *Partem servavit Plutarchus*) Consol. ad Apollon., p. 120 D., h. e. Vol. 1, p. 331 edit. Wytt. in-4.° —

Principio coelum) Aen. VI, 724 et Heynii Excursus XIII.

Igneus) Aen. VI, 730.

P. 64. *Quin et supremo*) Aen. VI, 735. Conf. Cudw. in Syst. Int. T. II, pag. 405.

P. 65. *Has omnes*) Aen. VI, 748.

P. 66. *Apud Plutarchum*) In Consol. ad Apoll. l. l.

P. 67. *Devenere*) Aen. VI, 638.

P. 68. *Socratem*) Hunc locum copiosius, allatis Veterum testimoniis, tractavit Wytt. de Anim. Immort., p. XXVII-XLIII.

P. 70. *Monumentum aere perennius*) Horat. III, Ode 30 ab init.

Magna me spes tenet) Cic. Tusc. Quaest. I., c. 41.

P. 71. *Nam cum — sunt*) Haec verba non leguntur apud Ciceronem, sed sunt apud Platonem in Apol. Socr. p. 369 C edit. Fic. —

P. 72. *Nae ego*) Tusc. Quaest. I, 42.

His et talibus rationibus) Tusc. Quaest. I, 29, 30.

P. 74. *Platonis* Phaedon) De hoc dialogo legatur Wytt. Praef. a pag. VI ad XI.

P. 75. *Appellatus hic dialogus*) Vid. Wytt. Annot. in Phaedonem pag. 107. — Sequitur nunc eleganter conscripta epitome hujus dialogi, cujus capita secundum Wyttenbachii editionem deinceps indicabo.

Quamdiu in carcere fuit S.) Cap. 3, p. 6.

P. 76. *Sed posteaquam Xanthippe*) Cap. 3, p. 7 ὁ δὲ Σωκράτης ἀνακαθιζόμενος.

P. 77. *Tum Cebes, Opportune*) C. 4, p. 7.

P. 78. *Tum Simmia, Quale*) C. 5, p. 9.

P. 79. *Tum Cebes, Haec*) C. 7, p. 11.

P. 80. *Ad haec Socrates*) C. 8, p. 12.

P. 81. *Faciam, aït S.*) C. 9, p. 12.

P. 83. *Quare, si quem videtis*) C. 15, p. 20.

P. 84. *Haec quum dixisset S.*) C. 16, p. 22.

P. 85. *Et primum quidem videamus*) C. 17, p. 23.

P. 86. *Caeterum, si quid*) C. 18, p. 25.

Porro, si generatio) C. 19, p. 26.

P. 87. *Tum Cebes :*) C. 20, p. 27.

P. 88. *Recte mones*) C. 24, p. 34 infra.

P. 89. *Immò vero*) C. 25, p. 35.

P. 90. *Jam primum*) C. 26, p. 36.

P. 91. *Et corpore quidem*) C. 27, p. 38.

Porrò animus imperat) C. 28, p. 38.

P. 92. *Quid enim?*) C. 30, p. 40.

P. 93. *Haec quum dixisset S.*) C. 35, p. 45.

P. 97. *Tu vero, inquit Simmias*) C. 36, p. 47.

P. 98. *Tum Socrates*) C. 38, p. 49.

P. 99. *Haec postquam dicta essent*) C. 40, p. 52.

P. 100. *Et primum quidem*) C. 42, p. 54.

P. 101. *Et vero magnae*) C. 48, p. 63.

P. 102. *Postea forte in Anaxagorae*) C. 49, p. 66.

P. 103. *Quodsi enim querebatur*) C. 52, p. 70.

P. 104. *Equidem, ait, non habeo*) C. 59, p. 81.

Igitur denuo) C. 60, p. 81.

P. 105. *Tum Criton*) C. 67, p. 93.

P. 106. *Peracto lavacro*) C. 68, p. 94.

P. 107. *Itaque Criton*) C. 69, p. 96.

P. 108. *Erant qui exclamarent*) C. 69, p. 97.

Memoriae proditum est) Diog. Laërt. III, 37. Conf. Wytt. in Praef. ad Plat. Phaed., p. XII.

P. 113. *Zenonis Eleatae opinionem*) Leg. Wytt. de Immort. An., p. XXX.

P. 115. *Atque haec sunt argumenta*) Cum his argumentis conferri omnino merentur, quae Wytt. scripsit in Disput. de Immort. Anim. a pag. XLIV ad pag. LVIII.

Nam et Ciceroni) Tusc. Qu. I., c. 23, et de Rep. L. VI, c. 18 et 19, sive de Somn. Scip, p. VIII.

Platonem in Phaedro) p. m. edit. Fic. 344 C.

Macrobium) In Somn. Scip. L. II, c. 12 et 13.

P. 117. *Evolve diligenter*) Tusc. Qu. I., c. 11.

CORRIGENDA.

P. 26. πανтὰ *lege* πάντα
41. idaeis — *ideis*
53. qui ab — *quod ab*
61. dehis — *de his*

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JO. NIC. HOUDIN.